~~15~~ 24.

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

NALDUS DE NALDIS FLORENTINUS

ELEGIARUM LIBRI III.
AD LAURENTIUM MEDICEN

EDIDIT

LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXIV. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

NALDUS DE NALDIS FLORENTINUS

ELEGIARUM LIBRI III.
AD LAURENTIUM MEDICEN

EDIDIT

LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXIV. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

EXCUDEBAT TYPOGRAPHIA ÁRPÁD NOMINATA, SZEGED (HUNGARIA)

INTRODUCTIO.

De vita operibusque Naldi de Naldis.[1]

Naldus de Naldis s. Naldus Naldius die 31. mensis Augusti a. 1439. patre Iacobo Florentiae natus est. Sodalis Academiae Platonicae Florentinae erat, Marsilius Ficinus[2] et Angelus Politianus[3] et alii in amicorum numero habuerunt. A. 1488. in Studio Florentino professor studiorum humanitatis, a. 1497. Pisis artis rhetoricae et poeticae electus est.

Quo anno mortuus sit, nescimus. A. 1513. ad electum papam Leonem X. longam elegiam scripsit, ante annum autem 1520. iam de vita excessisse creditur.

Naldus de Naldis in elegiis componendis praecipue Ovidium et Christophorum Landinum sibi ad imitandum proposuit.

Quia Albiera (Alba) Albitia die 14. mensis Iulii a. 1473. mortua est (v. Eleg. lib. I. eleg 27.), elegiae a Naldio inter annos 1473. et 1492. Laurentio Medici dedicatae sunt.

Opera: Carmen Bucolicum. — De laudibus Bibliothecae libri IV. ad Matthiam Corvinum Pannoniae regem. — Elegia ad Leonem X. — Elegiarum libri III. ad Laurentium Medicen. — Epistolae. — Hastiludium.

De codice elegiarum.

Libri III. elegiarum solum codicem habet, quem dedicatorium Florentiae Bibliotheca Medicea Laurentiana asservatur: Plut. XXXV., cod. 34. Saec. XV. Membr. Codex 108. folia continet. — Elegias nos numeravimus.

---

[1] Cf. Alfonso *Lazzari*, Ugolino e Michele Verino. Studii biografici e critici. Contributo alla storia dell'umanesimo in Firenze. Torino, 1897., pag. 41—43.

[2] Aliquot epistolae *Ficini* ad eum scriptae extant.

[3] Prose volgari inedite e poesie latine e greche edite e inedite di Angelo Ambrogini *Poliziano* raccolte e illustrate da Isidoro del *Lungo*. Firenze, 1867. p. 122.

ANNOTATIONES CRITICAE.

Liber I. — *Tit.* Naldus—Liber I.] Naldi de Naldis Florentini elegiarum liber primus ad Laurentium Medicen virum clarissimum foeliciter incipit — **1.** 18. Virgilio — 28. trophaea — **3.** 6. offitii — 11. caeptis — **4.** 9. sagictas — 11. Presertim — 13. moesto — 18. Encheladus — aethna — 19. Titius — 22. preire — 35. Mictat — 38. Caedat — 39. Caritum — 54. obicienda — **5.** 3. Gucture — 15. arturi sydere — 17. praecintus — 25. tygres — 28. caedere caepit — **6.** 3. sydera — 8. queritat — 13. philomaena — 20. auctunni — 21. ledit — **7.** 2. letior — 18. conditione — 30. Arrida — **8.** 9. sagicta — 24. infoelix — 26. cythara — **10.** 4. lachrymis — 12. Substinuit — 25. sydere — 27. quoties — 29. caepit — 37. lachrymas — aedere — 44. Hereat — 71. Phaebus — 77. Phaebe — 81. Phitonem pene — 91. nephandi — **11.** 1. moestas — 8. talia — 17. sabeo — **12.** 11. paena — 15. letos — 19. Hec — 23. lesus — **13.** 1. sydere — **14.** 2. Arctius — **4.** Brachia — 9. Caedendum — 13. Arctius — **15.** 6. loeta — **16.** 3. liciae — 12. Cumeae — 15. caeperat — 47. cigni — 55. paeneia — 62. sevus — **17.** 21. meonius — 23. tindaridi — lacena — **18.** 14. substinuisse — **19.** 7. licoris — **20.** 7. lachrymis — **21.** 8. Aeditus — 15. cythara phaebus — 29. foelix — 30. foelix 36. preire — 38. cinthia — 63. phaebi — 67. phaebe — **22.** 4. tybridis — 7. chimeram — 26. conditione — **23.** 22. cheli — 25. paenas — 34. camaena — **24.** 5. sagictas — 18. preda — 24. preda — 28. cyrrae — 29. Aethernum — 30. moestitia — 32. conditiove — 35. sevi — **25.** 5. caepit — sagictas — 13. sydereos — 19. iperionis — **26.** 2. leto carmina — 6. Aetherna — moestitia — 10. lachrimae — 17. lachrymans — 19. phetontiadum — 24. lachrymis — 42. phrigio — lesa — 45. helenae — 49. Heccuba — **27.** 12. substinuisse — 21. infoelix — 33. dannet — 57. sydera — 62. thoro — 78. lesa — 86. preda — **28.** *Tit.* faeminam — 2. lachrymis — 9. colunnis — 15. hostia — 17. Hostia — 38. moeste — 44. lachrymis — 49. phetontiadum — 53. lachrymas — 54. Albitie — 55. alumnam — 64. lachrymis — **29.** 2. aetruscas — 6. moestas — 13. infaelix — 28. Heccuba — 37. lachrymas — 60. stix — 68. thoro — 72. lachrymas — 76. moesta — 86. elisium — 95. amaena — 97. tyberim — **30.** 1. lachrymas — 4. caepisti — 5. moestum — **31.** *Tit.* Epithaphium — **32.** 1. lachrymas — 5. albiere — **33.** *Tit.* Disticon — **35.** 2. Aethernum — **39.** *Tit.* Tetrasticon — 1. lachrymis: stigias — **41.** *post* 4. Finis

Liber II. — *Tit.* Liber II.] Liber secundus ad Laurentium Medicen virum clarissimum. — **1.** 4. Aedita — **2.** 10. camaena — 22. conditione — **3.** **4.** caeptis — 9. foelix — 11. muse — 17. cyrrei — 20. phrigio — 21. Foelix — felix — 27. phaebus — 38. camaena — 48. Preficerent — 49. phaebus — 53. cytharam — 57. Iupiter — 65. Eneam — phaebus — 70. incaeptum — 98. Iupiter — 109. iupiter — 117. Iupiter — levum — 119. flagor — 125. tybridis — 130. trax — **4.** 1. phaebe — 5. caeptis — 21. enigmata — 25. coelum — 37. autunni — 39. iupiter — 40. peremnis — 51. foelicia — 69. foelicem — 91. cesorum — 93. Hec — 112. preda — 120. loeta — trophaea — **5.** *Tit.* Ludovicum, u *littera secunda in corr.* — **6.** 5. cespite — 10. cyrrei — 23. substinet — 37. Substinuisse — 41. alumno — 46. trophea — 47. aedet — 52. Comittet — **7.** 8. Quatuor — **8.** 15. Faemina — **10.** 5. sydera — **12.** 16. Treicia — 29. Iupiter — 35. cythara — 38. coelum — 46. foenore — **54.** sydera — **16.** 3. neptunnus — 5. egros — **18.** 1. sydera — 6. coeli — **19.** 11. conditione — **20.** 4. paenas — 13. paena — dannas — **21.** *Tit.* infaelici-

tate — 3. caeptum — **22.** 2. substinuisse — 10. elisios — **23.** 4. preisse — 12. Calliopaea — **24.** 7. quaestus — **25.** 1. phrigiumque — **26.** 1. caepisti — 3. guidette — 7. phaebo — **27.** 2. aedere — **28.** 3. paeniteat — **29.** 8. phrigio — **30.** 13. foelix — 21. lachrymae — 23. lachrymis — **24.** loetior — **31.** 4. egro — **32.** *Tit.* Disticon — 1. sagicta — 2. Ocia — **33.** 1. ocia — **34.** *Tit.* Disticon — **36.** 8. iuvare] iurare — 12. lelius — **37.** *Tit.* cythara — **38.** 3. Aethernus — iupiter — 8. megera — 9. titiano — 14. loeta — 17. arpia — 23. phrigiique — 24. Faedavit — celeno — **39.** *Tit.* patriae] p. — 14. Ocia — 20. ocia — 52. sydera — 55. sequutus — 65. phrigio — acates — 83. ditione — 90. paenas — 115. cillenius — 125. phaebus — 131. iupiter amon — 154. ocia — 165. ocia — 167. Ocia — 168. Ocia — 185. coelo — 188. foelicem — 200. utrunque — 201. caeptum — **40.** 16. foelici — **41.** 1. cythara — 22. ocia — 53. foelices — 64. cecos — 73. agatonis — 83. mitridates — **42.** 3. ceptis — 6. pellion — 29. quenque — 79. imnos — 86. ceptum — 87. lachrymas — 107. enigmata — 121. maenia — 127. loetitiae — 130. trophea — 135. britanos — 142. leserunt — 150. quenquam — 151. leseris — 156. Suspitione — 162. Ledere — 167—68. eques — 170. caeperat — 187. tyramni — 189. tyle — **43.** 9. iccirco — 15. lachrymae — 24. tyramnos — 28. tyramnide — 36. Caeperit — 38. tyramnos — 45. menalias — 56. lernea — 69. preda — 71. antheum — 74. antheus — 78. nemeus — 83. geriona — 84. caccum — 87. nexi — 89. paenas — 105. olimpum — 111. tyramnos — **44.** 6. mecenas — **46.** *Tit.* Epithaphium — 2. Meonium — **47.** *Tit.* Epithaphium — **48.** *Tit.* Epithaphium — **49.** *Tit.* Epithaphium — 1. Cyrreis — **50.** *Tit.* Epithaphium — 1. celatum — **51.** *Tit.* Epithaphium — **52.** 1. horestem — 3. philotethes — 5. Lelius — 9. moesto — 10. lachrymas — 12. pilades — 27. Ocia — 32. queris — 34. offitiis ocia — 41. phebus — 53. lachrymis — 62. Sydereos *post* — 74. Finis.

Liber III. — *Tit.* Liber III.] Liber tertius ad Laurentium Medicen virum clarissimum. — **1.** 11. phaebus — 13. caeptis — 17. ocia — 22. virgiliusque — 27. cytharam — 71. volateranus — 73. preconis — 82. paenas — 85. dannentur — 88. paena — 97. volaterani — 99. tirrhenus — caepit — 108. substinuisse — 112. trophea — 121. foelix — **2.** 10. foelici littore — 11. peremnes — 15. Daphneoque — 35. foelicem — oevum — 52. emonio — 53. eliconia — 56. chelim — 57. cyrrae — 59. mecenas — 64. Ocia — 67. oevum — **3.** 8. cepta — 13. phrigias — 17. substulit — 18. coelum — 33. Emilii — 39. tyramnos — 53. praelia — 66. grecia — 80. Parrasii — 95. comoda — 98. Ocia — 101. camaenis — 107. Mecenatis — 109. cyrrae — 115. mecenatem — 123. paeniteat — 125. caepta — 143. iupiter — 146. Foelicem — **4.** 2. Athlantis — 3. Substinuit — 7. sydera coeli — 10. cimba — 17. Cesorum — 31. Iupiter — 33. coeli — 39. colunnae — 41. coelo — 58. aethernos — 67. substinet — 74. Loetitia — 78. tyramnos — 85. coelo — 89. tyramni — 103. cillenia — 104. quenquam — 112. resperxit — 128. Hec — cillenius — 129. coeli — 130. olimpi — 132. coelesti — 133. caetus — 135. Iupiter — 143. iupiter — 147. circunfertur — 149. sydera — 153. iupiter — 161. coelum — 172. lethei — 180. tyle — 183. amon — 186. coelo — 187. tyramni — 203. tyramnide — 204. Foelix — foelix — 210. coturno — 232. oevum — **6.** 7. foelix — 8. Duntaxat — 18. mecenatem — 19. Mecenas — 23. Foelices — foelicia — 24. ocia — 28. ledere — 31. offitio — 37. coelo — 50. paenas — 51. licurgi — **7.** 1. leto — 24. conditione — 26. aethernos — 31. cloto — 38. ceptum — 71. moestus — lachrymas — 74. lachrymas — 102. moestas — 104. quaestus — 109. medicem — 110. aethernos — 118. offitiose — 119. moesto — 123. peremni — 124. quanvis — 125. aethernos — 128. syderibus — occeanus — **8.** 3. foelix — 4. hemi — 11. utrunque — 21. paenitet — 23. mecenatem — 25. oevum — 32. emonium — 35. tessala — 41. spaciatur — 42. camaena — 43. phaebus — 63. foelix — 83. foelicem — 87. phaebus — **9.** *Tit.* Epithaphium — **10.** 1. siracusiam — **11.** *Tit.* patrem patriae] P. P. P. — 2. lachrymas — 9. camaenae — 12. moesta — 14. lachrymis — 16. moestitia — 22. praecipue conditionis — 36. Sydereas — 46. queris — 49. iupiter — 55. cecis — 76. quenque — 94. moesta — 95. sub urbanum — 98. moesta — 110. Iupiter — 116. moesta — 118. lachrymis —

123. infoelix — 124. Offitium — 132. lachrymis moestas — 134. moesta — 140. Aethernum — 142. substinuisse — 143. substulerit — 152. preire — 157. oevum — 165. danna — 174. danna — 204. danna — 209. menibus — 223. tyramnus — 232. solicitare — 243. lygurum sevire tyramnus — 261. tyramni — 266. lachrymis — 278. Substinet — 282. ocia — 305. camaenas — 309. cyrreas — 319. pyerias — 321. Bellorophonteas — 323. comunia — 324. Comunemque — moesta — 327. lachrymas — 333. Nunquis — 347. astrea — 353. infoelix — 358. ocia — 364. lachrymas — 392. aetherna — 397. danna — 407. lachrymis — 408. loetos — **12.** *Tit.* Epithaphium — patrem patriae] P. P. P. — **16.** *Tit.* patris patriae] P. P. P. — 4. conditione — 11. iupiter — 17. aethernum — **17.** 23. summit — 33. oevum — **18.** 2. tedia — 10. septa — 11. praelia — **19.** 2. cytharam — 7. coelo — 9. utrunque — 10. utrunque — 13. summis — 21. phaebus — 22. cythara — **20.** 5. foelicis — **21.** 5. foelicem — **22.** 1. dicteus — 4. caepit — 6. tarquino — 20. Caepitis — **24.** *Tit.* patris patriae] P. P. P. — 4. Substuleras — 17. coelum — 19. medicen — 38. Neptunnus — 63. aethernum — maenia — 65. conditione — **77.** Quatuor — 83. cetegum — 92. substulit — 95. ceptus — 112. leserit — 146. lachrymas — 148. langor — 151. moestam — 154. lachrymas — 155. tygres — moestissima — 158. Sydera — 160. lachrymis — 161. lachrymabilis — 164. Moestus — lachrymas — 166. lachrymis — 167. moestissimus — 169. quaestus — 171. caepit — 180. lachrymas — 186. Caeperit — 194. lachrymas — 195. cyrrae — 198. lachrymis — 209. lachrimisque — 224. camaena — 227. danna — **27.** 6. aethernum — **29.** 4. infoelix — 16. sydera — 20. Sydera — 22. Subicias — **31.** 1. Eneam — 2. frigum — **33.** *post* 6. Finis

NALDUS DE NALDIS FLORENTINUS

ELEGIARUM LIBRI III.
AD LAURENTIUM MEDICEN.

LIBER I.

1.

Si quis erit, Medices, de me qui forte requirat,
  Cur tibi, quo nihil hac maius in urbe viget,
Cur tibi, quo Tuscis gravius nihil extat in oris,
  Haec pede iuncta levi carmina danda putem,
5 Hac ego me monitum dicam ratione, quod essem
  Saepius expertus, mitis, ut ante, fores.
Nam, cum, quae lusi, placida tibi fronte recorder
  Membra velut sparsim lecta fuisse prius,
Haec sperare queam, nuper quae corpus in unum
10 Legimus, haec eadem nunc placitura tibi,
Non quod et ingenium referat mea Musa supremum
  Aut sapiant vates carmina nostra bonos,
Sed quia summa movet tua te clementia tantum,
  Duxeris ut, Medices, haec tibi digna legi.
15 Quae sint parva licet tenerosve querantur amores
  Et referant, quicquid prima iuventa tulit,
Me tamen invenies inter leve carmen et ausum,
  Qualia Vergilio facta canenda forent.
Saepe tibi occurret quoniam pater ipse legendus,
20 Saepe tibi patruus, saepe legendus avus,
Te quoque, Laurenti, numeris spectabis in istis,
  Nomine ni fugiant scripta notata tuo.
In quibus ingenium si forte requiris et artem
  Verbaque sunt factis inferiora tuis,
25 Te tamen, o Medices, semper Medicumque penates
  Perspicies tanta me coluisse fide,
Quanta nemo queat me nunc superare tuorum:
  Sic dabit una mihi summa tropaea fides.

2. *Ad librum.*

Postquam, parve liber, properas vitare latebras
  Et cupis in lucem protinus ire novam,
I modo, sed, tutos si vis habitare penates,
  I, liber, i, magnos expete, parve, Lares,

5 Hic tu semper eris cunctos quia tutus in annos
Tutaque debilitas hic tua semper erit.
Hoc tibi praestabit Medices Laurentius, est qui
Civibus una salus, qui decus omne, suis.
Nanque, ubi te sumet vultu bonus ille sereno,
10 Ut legat indoctas, parve libelle, manus,
Nusquam te caries morsu corrodet acuto,
Nusquam longa dies eviolare queat,
Non tibi non imber, non et Iovis ira nocebit,
Fulmine cuncta licet corruat ille suo.
Sic tu peste, liber, vives securus ab omni,
Etruscae Medices dum pater urbis erit.

3. *Ad Laurentium Medicen.*

Cum teneri prima veniant tibi sorte libelli,
Obvia turba sit ut non odiosa, precor,
Neve putes illis vitium, si sumere primi
Ante salutandi munera prima velint.
Illi, quicquid agunt domini, mandata facessunt
Et sunt officii causa futura boni.
Nam, cum sint primi, primis quos scripsimus annis,
Dum lusit numeris prima iuventa suis,
Hos ita digessi, teneris ut amoribus ad te
Visendum, Medices, sors data prima foret,
Ut tibi, cum coeptis sis ultima meta futurus,
Laurenti, nostris, haec quoque prima darem.
Quae si quando leges, quoniam tibi multa supersunt,
Quae te non vacuum pectus habere sinant,
15 Pone supercilium, Tuscas quo maximus urbes
Nunc regis et patriae das pia iura tuae.
Quaque iocos spectas cura graviore solutus,
Hac, te, nostra legas carmina fronte, rogo.

4. *Ad Marsilium Ficinum de gravi Amoris oppressione.*

Quid mirare, meo cur sit modo pallor in ore,
Cur faciem macies occupet usque meam?
Nescis, heu, nescis, ut me meus urgeat error
Utque Cupidineus vexet, amice, furor.
5 Nam, si parva tibi veniat scintilla caloris,
Qui mihi perpetua conterit ossa face,
Cur fruar, heu, potius, certe miraberis, aura
Curve queam tantis sic superesse malis
Curque tot ignotas possim tolerare sagittas
10 Totque pharetrati vulnera cruda dei,
Praesertim, cum nulla mihi sit causa querendi,
Tam novus unde queat se minuisse dolor.
Nanque solet, maesto si fundat ab ore querelas,
Qui dolet a luctu corda levare gravi,

15 Ista sed a domina nunc est mihi dempta facultas,
Ne miser, heu, querulis utar, amice, sonis.
Nam licet hinc capiam tot nunc, Ficine, dolores,
Quod capit Enceladus, dum gravis Aetna premit,
Quod capit aut Tityus, cui saepe renascitur ingens,
20 Heu, iecur, ut gravius viscera pascat avis.
Non tamen egregio, mea, nunc sinis, Alba, nitore,
Es mihi, quo superas visa praeire deas.
Non sinis hos forma tantos solata labores,
Hinc eat in nostros ulla querela modos.
25 Nam, dum conspicio, crines ut nodat in aurum,
Alligat ut flavas candida victa comas
Utque supercilium tenuem curvatur in arcum,
Unde nitent dominae lumina nigra meae,
Lumina, quae solem praecedens Lucifer almus
30 Non certet radiis aequiperare suis,
Nullas, crede mihi, licet effudisse querelas
Nullaque legitimi causa doloris adest.
Nam modo quid referam, niveos ut vincat olores,
Qui color, Alba, tuus lactea colla notat.
35 Mittat ebur nimium splendens licet Indica tellus,
Non tamen ad dentes splendeat, Alba, tuos,
Labraque si certent Sarrani muricis ostro,
Cedat cumque suo murice victa Tyros.
Sed neque iam Charitum melius canit ulla sororum,
40 Mollius in numerum non movet ulla pedes.
Haec sed parva mei pars est, Ficine, furoris,
Sunt maiora, quibus me capit asper Amor:
Est decus, est verax servati fama pudoris,
Qua nuribus Tuscis tendit in astra prior.
45 Illa quidem novit divinae Pallados artes,
Libera vel quicquid nosse puella cupit.
Illa colit Phoebum, doctas colit illa sorores
Et fidibus mulcet numina tanta bonis.
Adde, quod inde sales, quos et Venus aurea tractat,
50 Quosve iocos dicunt, pulcher Iule, tuos.
Hanc tu si videas tractantem seria, dicas:
Haec est, quae fertur de capite orta Iovis.
Haec igitur quotiens animo mecum ipse voluto
Aut veniunt oculis obiicienda meis,
55 Impellunt mentem subito rapiuntque labantem
Atque ita me stupidum nocte dieque tenent,
Ut licet Aetnaeos subeam miser ille labores,
Durius aut si quid pectora nostra premit,
Non tamen illa sinunt tristes iactare querelas
60 Neve sinunt lachrimas fundere, amice, novas.
Sunt quia causa mihi dominae praeconia formae,
Ne doleam, sed me iure perisse putem,

Inferior cum sim ducibus, quos Troia iacentes
Viderit, atque Helenae pulchra sit Alba magis.
Sic mihi, quod reliquis datur ut medicina doloris,
Ut peream, gravius nostra puella vetat.

5. *Ad Albam.*

Nunc blandi flores, quos candida protulit aestas,
Frigoribus languent quilibet ecce novis.
Gutture non liquido carmen modo cantat hirundo,
Territa sed nostros iam fugit ipsa Lares.
Nunc sata nunc rigidis aquilonibus aspera torpent,
Frondibus arboreis nunc suus extat honos.
Nunc horret gelidis concretus nubibus aer,
Nunc riget algenti terra perusta nive.
Nunc Veneris ponunt animantia cuncta furorem
Nec iuvat in furias ulla venire novas
Idaliasque tenet iam nunc Venus aurea sedes
Et tepidum mavult nunc habitare nemus.
At crudelis Amor nostro non cessat ab igne
Comburens facibus tristia corda malis
Nec gelidae possunt Arcturi sidere nocles
Flammarum vires extenuare graves.
Ipse licet Boreas glacie praecinctus et acri
Frigore concretas sistere cogat aquas,
Non tamen hunc adeo poterit sedare calorem,
Urat ut, heu, miserum me minus asper Amor.
Alba, tuum quid nunc talem male perdis amantem?
Ossa quid in cinerem versa videre cupis?
Non tibi sic omnes forma praestare puellas
Concedunt pensis mollia fata suis,
Duritia cupias ut saevas vincere tigres,
Durius aut si quid gignere terra potest.
Si miserum credis tot posse incendia ferre
Hic, ubi vere novo cedere coepit hiems,
Falleris et fidum frustra revocabis amicum,
Ignis edax cum me verterit in cinerem.

6. *Ad Albam.*

Nescio, quae miseros insania verset amantes,
Dum calet adverso tempore flamma nimis
Vere novo rigidi per lucida sidera Martis,
Cum nitidos Titan aureus urget equos,
Cum gravis ignoto fervescit terra calore
Concipiens alvo quaeque futura suo.
Tunc ovis insano Veneris compulsa furore
In grege lanigero quaeritat usque marem
Atque Cupidinea nimium face tacta capella
Fertur ad optatum blandula coniugium.

Horrida, quae sensit pharetrati vulnus Amoris,
Ex rigida mitis facta leaena venit.
Tunc ardens longas ponit philomela querelas
Demulcens blandis florea rura modis.
Denique vel pontus vel, quae tenet aspera dumis,
Silva vel aetheream quae coluere domum,
Concipiunt aegro rabidos in corde furores,
Intus et ardori dant alimenta suo.
At, postquam variis spoliatur frondibus annus,
Squalet et autumni frigore terra novo,
Nullus Amor facibus rabidis animantia laedit,
Perdit enim vires pristina flamma suas.
In me, saeve puer, quid nunc tua vulnera restant?
In me quid geminas concutis usque faces?
Credere quis possit, quanto magis ipsa propinquat
Horrenti veniens aspera bruma gelu,
Aegrius hoc nostris ignis furit inde medullis,
Urit et assidua tristia membra face?
Hunc mihi tamque gravem poterunt quae pellere morbum,
Alba, quis ardori sit modus inde meo,
Si mihi, quae reliquis prodest, medicina misello
Officit et morbos auget acerba graves?

7. *Invehitur in Cupidinem.*

Ergo semper erunt mihi tristia tempora vitae
Nec veniet misero laetior ulla dies?
En crudelis Amor miseros ita torruit artus,
Ut prope iam fiant membra perusta cinis,
Nec contentus eo, Parthus quot torquet in hostes,
Tot modo me iaculis fixit acerbus Amor.
Amplius at nostro nequeas de sanguine, magnus
Quem calor exhausit, pellere, dire, sitim,
Amplius atque famem nequeas explere malignam,
Nil quia iam restat, ni levis umbra, mei,
Visceribus nam tu nimium crudelis amantum
Pasceris, ut rabidae, pectora dura, ferae,
E quibus es genitus, quoniam crudelia quaeris,
Errat enim, qui te iam putat esse deum.
At queror, heu, frustra, cum sit mihi nulla potestas,
Sedibus ut valeam fata movere suis.
Tendimus incassum Parcis obstare severis,
Flectere quas nulla condicione datur,
Cum mihi nascenti dederint ea fila sorores,
Ut miser inde gravi semper Amore premar.
Alba, venis nostro tristissima causa dolori,
Heu, nimis in tantis facta superba malis,
Et me, quem Musae dulces capere ante solebant,
Compellis turpi vivere nequitia.

Nec me delectat, quicquid fuit ante pudicum,
Casta nec, heu, capiti ponere serta iuvat.
Omnia lascivo nos indulgere furori
Cogis et arbitrio cuncta movere tuo.
Nam modo, quod tristes macies tenuaverit artus,
Arida quodque tegat vix sua membra cutis,
Haec mihi, si sapiam, iam pridem optanda misello
Debilitas fuerat corpore tanta meo.
Nam quo maiores vires, maiora supersunt
Supplicia et gravius fortia membra premunt.
Adde, quod, insano cum tandem victus amore
Tam duro cogar succubuisse iugo,
Spiritus has tristis melius deponere sedes
Possit: erit mortis sic mihi causa levis.

8. *Ad Amerigum Corsinum.*

Insultas nimium, teneros dum ludis amores,
Sicque putas voto posse favere tuo,
Si versu cupiens placidam exorare puellam
Aonio credas scribere digna choro.
Nanque levis primum blandis replet omnia verbis
Et vacuas mentes leniter afflat Amor,
Blandior et dulci perfundit corda veneno,
Nec venit hic Musis cura molesta piis.
Sed, si forte gravi pergat saevire sagitta
Et nimis accensas inferat inde faces,
Tunc te non solitus risus, sed dira misellum
Circumstent saevi tela cruenta ducis,
Qui, te cum duro transfixerit improbus arcu,
Iniiciet collo vincula quanta tuo
Et sua captivum iurare in verba superbus
Coget et invitum castra nefanda sequi.
Illic lascivos miserum puer ille furores
Imbuet et nullo vindice liber eris.
Nam te non Musae, non carminis auctor Apollo
Tam gravibus poterunt eripuisse malis.
Spiritus ille sacer, vatum qui pectora mulcet,
Deseret aligeri regna pudenda dei.
Nec te Pieridum numeros cecinisse iuvabit
Amplius; infelix carmina nulla canes.
Exemplo monet, ecce, sacra qui voce per aevum
Quique novem cithara mulcet, Apollo, deas.
Phoebus enim duri stimulis agitatus Amoris
Dicitur aethereas deseruisse domos
Neve gregem puduit divum pavisse sub antris;
Pastor erat, caeli qui modo rector erat.
Creditur ex illo chordas siluisse canoras
Tempore nec sanctos concinuisse modos.

Si sapies igitur tantis edocte periclis,
Parces te duro credere velle deo.

9. *Ad Laurentium Medicen in Lauram Petrarcae.*

Cum tibi nobilitas vitae sit iuncta modestae,
Cum sit in excelso pectore simplicitas,
Cum gravis aspectus sit, mens animusque benignus,
Cum tibi condita sit gravitate lepos,
5 Qui, deus, est reliquis late fulgentior astris,
In te congessit, quicquid honoris habet,
Atque ita tot dignam fecit te, diva, supremis
Laudibus et tantum iunxit ab arte decus,
Ut, bene si quis eas cupiat memorare poeta,
10 Quamvis divinus, non queat ille tamen.
Tu sis pulchra licet formaque insignis honesta,
Te tamen ornatus non minor artis habet.
Abs te quin etiam gestus, pulcherrima, talis
Gigniiur, ipsa tacens ut videare loqui.
Nescio, luminibusque tuis quae causa sit, ut nox
Clara sit et, cum vis, sit sine luce dies,
Cumque voles, facies, mel ut videatur amarum,
Dulce sit utque, mihi triste quod ante fuit.

10. *Ad Albam.*

Este procul, lyrici versus, procul esto puellis
Conveniens blandis, turba iocosa, modis,
Nam mihi nunc elegi duros meditantur amores,
Conveniunt lachrimis carmina maesta meis.
5 Ter sol immensum radiis iam circuit orbem
Et geminis novies luna recurrit equis,
Ex quo tam tristes urunt mea pectora curae,
Improbus et nullo tempore cessat Amor.
Qualis Amor Phoebum tenuit, cum pectore telum
10 Senserat, heu, iaculis plus valuisse suis,
Cum Daphnem blandus totiens humilisque precari
Sustinuit, caeli qui modo rector erat.
Me miserum quantis iuvat obiectare periclis,
Dum puto me dominam flectere posse meam,
15 Ante tua, ah, quotiens crudelia limina demens
Postibus immeritis florea serta dedi?
Carmina quot surdae cecini male grata puellae?
Lingua quot argutos est modulata sonos?
Interea, dum te fidum deludis amantem
20 Irridesque meos, dura puella, modos,
Abs te non aestus rapidi me vellere possunt
Octipedis cancri sole tenente domum.
Languentes urit gravior dum Sirius agros,
Assideo duras ianitor ante fores.

At postquam tristi concreta est sidere tellus
Brumaque nimboso torruit arva gelu,
Quid referam, tunc me quotiens Aurora quadrigis
Vidit in horrenti procubuisse nive?
Si quis in hac fessos coepit tum somnus ocellos,
Pervigil en tristi corde resurgit Amor
Nec sinit, heu, placidae tandem dare membra quieti,
Dum furiis agitant me mea visa malis.
Nam modo nec verbis gravibus ridere videris,
Improba, dum dicis, quis Furor urget eum.
Te modo in alterius videor spectare lacertis,
Ut dolor inde magis lumina nostra premat.
Heu, quas tunc lachrimas aut quantos edere planctus
Conspexit radiis Delia pulchra suis?
Sic mihi, quem tribuunt superi mortalibus aegris,
In requiem torques corpora fessa, Sopor,
Ast, ubi terribili stimulis gravioribus actus
Excutior somno, me mage vexat Amor.
Sentio nam, quanto concretum frigore pectus
Haereat et quanta stent mea membra nive,
Cum mihi frigentes tantus rigor occupet artus,
Ut nequeam surgens inde redire domum.
Sic ego do, gravius quod fit spectacula vulgo,
Et sum nequitiae causa pudenda meae.
Tu tamen haec oculis nimis, ah, nimis aspera siccis
Conspicis in nostris facta proterva malis.
At, me si nulli possunt mutare labores,
Heu, quia nulla mei sit medicina mali,
Saltem, quod spernor, poterat suadere misello,
Ut fugerem tristes, Alba superba, minas.
En quid agis? Caram reprehendere, Nalde, puellam
Desine, nanque tibi mitior illa foret.
Sed tua Saturnus subvertit vota malignus
Disiungens radiis astra propinqua malis.
Nam iungi poteras Marti, Cytherea, furenti,
Obstet ni veteris stella maligna dei.
Quin etiam Titan, Phrixei vellera signi
Dum subit et Martem comprimit orbe ferum,
Efficit, ut nostri ne tu, Venus aurea, possis
Monstratrix Marti concubuisse tuo.
Nam bona Gradivus monstrat dum vota puellae,
Combustas vires perdidit ille suas.
Quid mirer solem cupidos seducere amantes?
Sunt haec invidiae crimina prisca suae.
Liquerat informem quondam Cytherea maritum,
Iret in amplexus ut dea pulchra novos.
Hanc deus aspiciens, qui conspicit omnia, Phoebus
Invidit sorti, Mars violente, tuae.

Ergo, ubi purpureo posuisti membra cubili,
Instruit insidias Lemnius arte graves;
Nam tenues adeo laqueos deduxit in orbem,
Ne Venus iniectos sentiat esse dolos.
Post haec caelicolas spectatum, Phoebe, vocasti,
Fabula ne caelo notior ulla foret.
Improbe, quid faceres, nisi saeva Cupidinis arma
Tu quoque sensisses victus Amore gravi.
Exhausta nam cum Pythonem paene pharetra
Fixisses iaculis, Phoebe superbe, tuis,
Tunc insultantem nimium puer ille repressit,
Iussit et in castris aera merere suis.
Nec te prima tui defendit regia caeli,
Saturne, aut quod tu vel loca prima tenes,
Tu quanquam nimiumque senex nimiumque verendus
Aegro sensisti fervere corde faces
Teque hominum patrem iussit divumque parentem
Philaris in monstrum condere, dive, novum.
Testis adest Chiron stupri monumenta nefandi
Semivir aetherei semine natus equi.
Sed vos, si tantum potuistis ferre laborem
Ac timet aeternos mors temerare deos,
Parcite mortali saevos augere furores,
Frangeret haec humeros sarcina tanta meos.

11. *Ad Ugolinum Verinum.*

Cum legerem tristis maestas, Verine, querelas,
Quas tua te cogit fundere flamma graves,
Hei mihi, quod sensi refricari pectore vulnus,
Heu, quantas gelido fervere corde faces,
Nanque meo similis me nunc tua cura furori
Torquet et in mentem saeva puella redit.
Haec simul imperium rapit improba, non sinit usquam,
Praeripiat partes nostra Thalia suas.
Nam me Musa meos quanquam miserata labores
Demere servitio nititur ipsa gravi,
Non tamen haec fastus deponit dura superbos,
Sed superos temnens usque proterva venit.
Non igitur possum solatia ferre petenti,
Haud mihi cum morbi sit medicina mei.
At modo, quod superest, postquam mihi caetera desunt,
Nec licet, heu, votis posse favere tuis,
Nunc precibus Venerem tundam, nunc thure Sabaeo,
Ut tibi par subeat cara puella iugum,
Vel te, si solito pergit saevire tenore,
Tam dura miserum solvere lege velit.

12. *Ad irrisorem amantum.*

Te moneo, quisquis miseros deludis amantes,
Desine, vindictae nam gravis ultor adest,
Ultor adest iaculisque ferox facibusque Cupido,
Quem timet et magni regia summa poli.
Nanque, mihi stimulus, memini, cum nullus inesset,
Cum foret in vacuo pectore nullus amor,
Ridebam, si quis duro male captus Amore
Passus erat Veneris subdere colla iugo.
Saepeque dilectam cupidum vidisse puellam
Detinui, dominae dum studet ille suae,
Nescius, ah demens, maneat quae poena nocentem,
Puniat ut Veneris mox ea facta puer.
Nam me pro meritis, video, pro talibus ausis
Fixit arundinea cuspide durus Amor,
Durus Amor, qualem sensit, quo tempore laetos
Admeti, Phoebus, pavit, Apollo, greges.
Sic modo, qui liber miseros ridere solebam,
Nunc agit arbitrio pulchra puella suo.
Haec facit, ut macies cunctos tenuaverit artus
Et mea sic teneat pallidus ora color,
Ut, quos nunc videam dulci tabuisse veneno,
Hos lachrimans dicam, contigit asper Amor.
Ergo nullus erit posthac mihi laesus amator
Bellaque cum tanto nulla gerenda deo,
Ne modo, cum sit opus simili mihi saepe favore,
Officiant causae verba superba meae.

13. *Ad Albam.*

Alba petit nemus umbriferum sub sidere cancri,
Se lavet ut vitreis aurea fontis aquis,
Cuius in adventu videas gestire napaeas
Et pede quae madido fluminis alta colunt.
Quam timeo, dum rus sine me, mea cura, revisis,
Dum petis umbriferum fronde virente nemus,
Concubitum Panes ne nunc Satyrive procaces,
Turba, petant, nimium luxuriosa, tuum.
Quod tamen eveniat ne nunc, te, diva, rogamus,
Quae ducis sanctos per iuga summa choros.
Intactam serves tribus hanc mihi, casta, diebus,
Dum redit urbanam cara puella domum.

14. *Ad Ugolinum Verinum.*

Quid iuvat, heu, verbis querulis augere dolorem,
Artius aut vinclo stringere colla gravi?
Quid iuvat insanum contra pugnare furorem,
Bracchia torrenti tendere quidve iuvat?

5 Niteris incassum, luctando accenditur ignis
Et mage, dum quatitur, crescere flamma solet.
Quin, mare cum tumeat, velum si pandat in Austros
Navita praecipites, corruat ipsa ratis.
Cedendum est, possis ubi non subsistere contra;
10 Multo fit levius, quod bene fertur onus.
Vidi ego iam stimulis tumida cervice iuvencos,
Dum iuga detractant, succubuisse magis.
Artius et duris contunditur ora lupatis,
Mitia si validus frena recuset equus.
15 Sic, quicunque gravi miserove premuntur Amore,
Si renuant, tristes durius urget Amor.
Nanque reluctantes dura premit ille catena,
Supplicibus miseris vincla molesta levat.
Desine, si sapias, igitur, Verine, querelas
20 Fundere et in flammas addere ligna tuas.

15. *In carmen Petrarcae ad Renatum Pactium.*

Si potero vitae duros tolerare labores
Et tandem gravibus tot superesse malis,
Ut, quae nunc ita resplendent, tua lumina cernam
Languere atque annis cedere mobilibus
Auricomumque caput flaccis albescere canis,
Ponere, quas vestes laeta iuventa tulit,
Purpureos flores et serta relinquere, quae nunc
Dependent capiti, munera digna, tuo,
Et faciem roseam croceo pallere colore,
10 Quae mihi, ne doleam, cuncta timenda facit,
Audebo saltem veteri compulsus Amore
Dicere, quae tulerim vulnera cruda miser,
Quique dies, referam, et menses et tempora duri
Quae dudum fuerint tristia servitii.
15 Tempus erit placidis at si non lusibus aptum,
Cum veniet tardo curva senecta pede,
Nil tamen huic tanto solatia ferre dolori
Non poterit quanquam sera, sed apta tamen.

16. *Ad se ipsum.*

Qui miseros semper vexari dixit amantes,
Extitit augurio verior ille Iovis.
Nec Lyciae sortes, Clarii nec Apollinis antrum
Verius in vates fundere verba queunt.
5 Si quis enim fratris suscepit morte dolorem
Seu nati doluit funere cruda pater,
Longa dies longos potuit depellere luctus
Aut potuit sapiens imposuisse modum.
At grave qui vulnus pharetrati sensit Amoris
10 Et posuit duro colla premenda iugo;

Nil iuvet hunc, vel si longaevi Nestoris annos
Vel si Cumaeae saecula vatis agat.
Hoc miser experior, cum me nec longior aetas
Nec valet e morbo Musa levare gravi.
15 Quartus ab undecimo iam tum me ceperat annus,
Degebam lustris tempora mensa tribus,
Cum nimis, ah, tenerum nec adhuc nil tale timentem
Improbus abduxit in sua regna deus.
Hinc me durus Amor nodis premit acer aenis,
20 Nil pudet atque annos sic rapuisse novem.
Hinc mihi perpetuis urit mea pectora curis,
Vexat et ardenti membra perusta face.
Nunc scio, quid sit Amor; scio, quid sua triste minentur
Spicula, quae miseros poena nefanda premat,
25 Ut miseros crudelis Amor depascitur artus,
Ut bibit e misero sanguine dira sitis.
Nunc scio, cur subito discedat corpore sanguis,
Ut rubor et subito spargitur inde genis.
Nunc scio, quae dominam nova sit mihi causa sequendi,
30 Hanc tamen, heu, timeo dum reperire gravem,
Ut cupiens animus dilectae membra puellae
Intrat et ut sedes deserit ante suas.
Et novi, ut flores inter latet anguis, et inter,
Heu, lateat blandas spina molesta rosas.
35 Nec fugit, heu, miserum, quae mentem insania vertat,
Ut ratio furiis tollitur inde malis.
Haec scio, sed nimium tot me didicisse coegit
Improbus, heu, qui me tam male vexat, Amor.
Quam vellem potius divinae Pallados arti
40 Aut Phoebi studiis invigilasse piis!
Haec mihi tam saevas potuissent demere curas,
Forsitan et tantis eripuisse malis.
Fallimur at miseri, divis dum fidimus ullis
Vanaque credulitas pectora nostra tenet.
45 Nulla Cupidineum possunt vitare furorem
Numina, nam superis imperat ille deis.
Ille Iovem in plumas ardentem vertere cygni
Impulit et Ledae concubuisse suae.
Nec sua Mercurium iuvit facundia tantum,
50 Posset ut e sacro pellere corde faces;
Hunc rapit Almeonis gnatae nova forma furentem,
Hinc extant gemini, pignora cara, Lares.
Nam modo quid referam Phoebi mala vulnera? quantus
Vexarit pueri pectora sancta furor?
55 Te primum Daphne miserum Peneia fecit,
Compulit et currus deseruisse sacros;
Thessala te cupidum tellus placuisse puellae
Vidit in herbosa pascere valle pecus.

Quin Venus et nati crudelia vulnera sensit,
60 Cum stupuit vultus, pulcher Adoni, tuos.
Ergo, si divos domitat puer ille supremos,
Iniicit et superis vincula saevus Amor,
Niteris, heu, frustra, cum sis mortalis, ab aegro,
Nalde, Cupidineas pellere corde faces.

17. *Ad Michaelem Cacciam.*

Cur tibi dilectam vis me laudare puellam,
Caccia, quid iussis cogis, amate, tuis?
Desine me gravibus totiens urgere querelis,
Non datur haec humeris sarcina digna meis.
5 Haec ita nam superas aequat candore figuras,
Qua caperis, vates poscat ut illa bonos.
Nanque pharetratae si sumeret arma Dianae,
Nympharum veniat ducere digna choros.
Idalios habitet si candida Vaggia lucos,
10 Visa Cupidinibus altera mater erit;
Accipiat manibus divinae Palladis hastam,
Credetur sacro nata Iovis capite;
Matris et incessus imitetur pulchra deorum,
Decipiet gressu lumina cuncta suo.
15 Nam quid Castalias memorem superare puellas?
Iudice vel Phoebo doctius illa canit.
Nec vos Pieridum, Musae, gaudere triumphis
Convenit. En palma dignior illa venit.
Et mirer, si me scribentem talia sensus
20 Deficit et medio lingua retenta sono est?
Hanc si Maeonius cuperet cecinisse puellam,
Incassum vires funderet ille suas.
Et si Tyndaridi fertur potuisse Lacaena
Carmine grandisono scribere digna satis,
25 Non tamen istius laudes implesset Homerus,
Aequet cum superas ore micante deas.

18. *Ad Petrum Nigrum.*

Dulce mihi satis est, acri quod mente voluto,
Id licet assiduo corda dolore premat.
Dulcis et ille dies, quo pocula mixta veneno
Mixtaque tam tristi dulcia felle bibi.
5 Dulceque sunt oculi, qui splendida lumina praebent,
Lumina tam nostris insidiosa bonis.
Dulce tui resonant pulcherrima verba loquentis,
Unde fit, ut stupeat sensus et ora mihi.
Dulce quidem gestus, qui maxima causa fuerunt,
10 Dulcibus ut doleant pectora nostra malis.
Dulcis et hic error, vitam qui reddit amaram,
Qui mihi pro dulci tristia melle parat,

Ut neque tam dubiam possim depellere sortem
Tamque graves fati sustinuisse vices.
15 Sic igitur dulci pereant mea membra veneno,
Convenit, haec dulci sint quia danda neci.
Nam, si causa venit suavis morientibus ulla,
Est opus, ut certe sit mihi dulce mori.

19. *Ad Petrum Campagnum.*

Lisia si cupido tibi nunc ita pulchra videtur,
Ut tibi sit visum pulchrius esse nihil,
Te curare decet, cuncti mirentur et ut te
Urbe tua videant doctius esse nihil.
5 Quod modo si facies, veluti cupis, inde futurum
Polliceor, verbis tu, Petre, crede meis,
Ut, quantum Gallo convenit pulchra Lycoris,
Conveniat curae Lisia pulchra tuae.

20. *In carmen Petrarcae ad Iohannem Cavalcantem.*

Permixtum gemmis aurum nitidisque lapillis
Canaque Puniceis lilia mixta rosis,
Qualia deberet squalentia reddere bruma
Arenti siccans florea rura gelu,
5 Sunt mihi, sunt duri toto nunc corpore sentes,
Qui pectus figunt, ilia quique graves,
In lachrimis igitur vivam, brevioris et aevi,
Maximus interimit nam breve quisque dolor.
Sed tamen incuso speculum crudele misello,
10 Cuius imaginibus facta superba venis.
Hoc iussit dominum verbis imponere finem,
Dum supplex pro me funderet ille preces,
Qui tacuit, postquam te nil aliunde petentem
Contentam propriis conspicit esse bonis.
15 Hoc imis positus Lethaei fecerat oris,
Merserat et tardis navita tristis aquis,
Ex quo principium longi fluit usque doloris,
Nascitur et mortis causa nefanda meae.

21. *Ad Laurentium Strozam de Mariettae sororis laudibus.*

Huc, precor, huc venias nitidis, intonse, capillis,
Huc, age, virgineas pectine finge comas,
Pallantis canitur Strozae dum candida proles,
Huc ades aurata, pulcher Apollo, lyra!
5 Non minor hic labor est, quam si tua facta referrem,
Niterer aut laudes enumerare tuas.
Nanque ita formosos fulget Laurentius inter
Editus in Stroza nobilitate puer,
Ut tibi persimilis facie videatur et ore,
10 Dignus ut aethereos ductitet unus equos.

Nam, tibi si flavi pendent a fronte capilli,
Si premit auratas laurus amata comas,
Hic pariter niveos enutrit vertice crines,
Mox premet auricomum fronde virente caput.
Si mulcet cithara Phoebus quaecunque canora
Producens numeris quaeque creanda suis,
Te quoque fama volat, Laurenti edocte, canendis
Versibus Aonios tot didicisse modos,
Ut possis, veniet cum mox tibi saevior aetas,
Flectere vel numeris corda superba tuis.
Macte, puer, virtute tua, sic ibis ad astra,
Sic puer illustres exuperabis avos.
Nam si divino non es de semine natus
Neve potes patrem sorte referre Iovem,
At possis geminos etiam memorare parentes,
Aequent ut magnos nobilitate viros.
Inde nepos cum sis equitis Pallantis avitae,
Nil est, quod sorti praeposuisse velis.
Fac tamen, haec desint; felix virtute sororis
Et felix forma tu potes esse tuae.
Ah, quotiens vidi, peteret cum templa deorum
Inter matronas casta puella pias,
Viseret ut cupide populum concurrere Tuscum,
Undique per stratas dum ruit ille vias.
Et vidi egregia te tantum, Strozia, forma
Divina patrias sorte praeire nurus,
Idalias quantum praestat Venus aurea matres
Aut nymphas quantum Cynthia pulchra suas.
Te quoque praecedens sese tulit ante Cupido
Telaque nunc torquens nunc quatiensque faces.
Inde quot in miseros, heu, spicula iecit amantes,
Dum loca cuncta iubet, diva, patere tibi,
Dum facit, ut plebs ipsa frequens tibi cedat eunti,
Dum populi cuneos dividit ille graves?
Illinc longa mora est, iuvenes quot fecit amare,
Dicere, quot senibus vulnera cruda dedit.
Hunc rapit auratus pendens a fronte capillus
Et quas innodat candida victa comas.
Hic stupet ardentes nimis admiratus ocellos,
Qui possint geminos vincere Luciferos.
Candidulas videt ille genas rapiturque videndo
Datque Cupidineo colla premenda iugo.
Inde vir est si quis, dentes qui spectet eburnos,
Miratur, lapides ut superant Parios,
Sic Florentini pariter iuvenesque senesque
Ludibus invigilant, Strozia pulchra, tuis
Neve tuam tantum mirantur, candida, formam,
Illa satis quamvis causa furoris erat,

Quam mores castos laudant vitamque pudicam,
60 Qua nuribus Tuscis tendis in astra prior.
Iure quidem, nam tu superam, Marietta, Dianam
Moribus et forma sola referre potes,
Nunc velut ipse potest imitatus numina Phoebi
Frater Apollineum fronte referre decus.
65 Ite igitur tantis insignes laudibus ambo,
Pergite, divinas sumat uterque vices,
Ut, Titan veluti splendens, velut aurea Phoebe
Stelliferi superant caetera signa poli,
Vos ita mortales reliquos superetis honore,
70 Sitis et ut Strozae lumina bina domus.

22. *Ad se ipsum.*

Non sic errore exacto gavisus Ulixes,
Vidit ut optatae moenia Dulichiae,
Nec sic Aeneas portus intrasse quietos
Per mare, qua Tusci Thybridis unda fluit,
5 Nec sic est Theseus monstro laetatus abacto,
Icarea caecos vicit ut arte dolos,
Nec sic Bellerophon diram domuisse Chimaeram
Talia victrici gaudia mente tulit,
Qualia nunc capio, tristi quod amore solutum
10 Me modo libertas in sua iura tenet.
Quam grave servitium dominae fuit, improbus ex quo
Me miserum saeva cuspide fecit Amor.
Ex illo placida caruit mea vita quiete
Tempore, dum Furiis errat abacta malis.
15 Nunc me sive deus voluit finire labores
Atque iugum longo demere servitio
Seu modo fata suum vertunt mutata tenorem,
Impediunt collum vincula nulla meum.
Non erit imperium dominae mihi triste verendum,
20 Non erit illa mihi saepe verenda minax,
Amplius illa mihi leges nec ponet amaras,
Amplius in nostrum nec ruet illa caput.
Ergo duplex afflat me nunc sequiturque voluptas
Binaque sunt animo gaudia parta meo,
25 Tum quia sim factus divino numine liber,
Qui modo servili condicione fui,
Tum quia Castalias liceat mihi visere nymphas,
Securo Musis invigilare piis,
30 Quarum praesidio tectus, dum vita manebit,
Non linquam sacras sedulus usque fores,
Ne mihi, si vager ulterius, vim rursus inermi
Inserat, heu, nimium saevus et asper Amor.

23. *Ad Musas.*

Pergite, Pierides, vestris stipatus ab armis
En Amor en victas porriget ipse manus
Nec poterit castas mollis tolerare phalanges,
Tam tenerum vincent signa pudica ducem.
Nam modo, Castalias fugerem cum liber in oras,
Demissem collo cum fera vincla meo
Atque huc se ferret subito deus aliger, ut me
Cogeret invitum castra nefanda sequi,
Cuspidibus geminis quamvis armatus inermes
Non tulit Aonias ille videre deas.
Nanque, ubi conspexit nivea cum veste Camenas
Ducere laurigeros per iuga summa choros,
Compressit primo gressum, tremefactus at inde
Non puduit turpi vertere terga fugae.
Hostem vos igitur saevum modo tollite, Musae,
Dum licet atque metu turpiter arma cadunt,
Dumque alae cecidere deo dumque improbus arcum
Deserit et nullas dum tenet ille faces.
En agedum, facilem palmam nunc fortibus armis
Ferte piis manibus, parta tropaea, domum.
Ah, quos ille rapax Nysae de vertice, cum iam
Inciperent docta iungere verba chely,
Et quos nascentes posses iam nosse poetas,
Improbus abduxit in sua regna puer!
At, meritas, video, poenas dabis, improbe, nec te
Defendent tenera spicula iacta manu.
Quid tibi nunc prodest mortalia corda, quid altos
Caelicolas facibus corripuisse tuis?
Ecce venis gravibus tractus per colla catenis
Et sequeris magni signa superba ducis.
Te modo, qui sacro modularis carmina plectro,
Vulneris illati nunc meminisse decet,
Ut, cum de victo sententia tristis habetur,
Damnet eum verbis quaeque Camena suis.

24. *Ad Albam.*

Liber eram et tristes meditabar ponere curas,
Hactenus intulerat quas mihi saevus Amor
Invitum rapiens sic me, velut ante Cupido,
In sua cum iussit castra redire gravis.
Quid me, dire, tuas totiens sentire sagittas,
Quid cupis ignitas fervere in ossa faces?
Nonne satis fuerat, dum me mea pertulit aetas,
Saeve Cupido, tuas saepe tulisse minas?
Dum puer extiteram, nusquam tua signa reliqui
Saucius inde miser vulnere saepe gravi.

Si quis nosse velit, videat, non una cicatrix
Cuspidibus signat pectora nostra tuis.
In me quid rursus ruis, improbe? Quae tibi, dum me
Sic rapis immeritum, gloria tanta venit?
15 Intactos potes hoc melius tentare veneno;
Hinc tibi magnificus, dive, triumphus erit.
De me nullus honos veniet, si vincere tentas,
Qui tibi iam totiens praeda petita fui.
Hei mihi, quid prosunt Musae? quid noster Apollo?
20 Quid iuvat aut sanctos concinuisse modos,
Si gravibus rapior sic nunc ego vinctus aenis
De sacro Phoebi Pieridumque sinu?
Quid tantum de me licuit tibi, saeve Cupido?
Musarum vates, non tua praeda sumus.
25 Sic fons Castalius, sic me Parnasia rupes
Non tegit. Heu, superas nil facit ille deas.
At, si Pierides non me defendere possunt
Nec modo me Cirrhae protegit altus apex,
Aeternum cogar durae servire puellae,
30 Cogar et in tristi vivere maestitia.
Ergo, si servus tibi sum miser usque futurus,
Vita nec, heu, melior condiciove manet,
Mitior aut saltem fias, te, diva, precamur,
Fiat et ut levius tam grave servitium.
35 Te rogo, ne saevi tantum neu temne dolentem
Neve preces ride, cara puella, meas,
Sed, quaecunque tibi dicemus carmina voce,
Accipias placidis auribus illa, velim.
Munera nec spernas, licet haec sint parva, rogamus,
40 Tradita, sed, qua sunt, hac, tibi, mente cape.
Aspera sis reliquis, tantum mihi blandior uni,
Alba, nec alterius, nostra sed esse velis.
Nam, si saeva fores nimium, si rursus, ut ante,
In nostrum rueres facta proterva caput,
45 Non tanto possem fessus durare labori,
Sed miser ante diem mortuus, heu, caderem.
At tibi nostra tamen mors haec non esset honori,
Ut puto, perpetuae sed foret invidiae,
Cum te clamarent pueri iuvenesque senesque
50 Omnibus in terris durius esse nihil,
Quod, me tam fidum totiens dum spernis amantem,
Funeris extiteris causa nefanda mei.

25. *Ad Albam.*

Mitior interdum tandem mea facta puella
Duritiem didicit ponere victa suam.
Nec frustra innumeras iactavi saepe querelas:
Flectitur en precibus, Alba benigna, meis.

5 Iamque Cupidineas coepit sentire sagittas;
Iam sibi noster Amor mollia corda facit.
Hinc est, quod tremulas Veneris petit illa choreas
Atque cupit teneras implicuisse manus.
Hinc nec inornatos patitur pendere capillos,
10 Hinc pullam gestit candida ferre togam.
Saepius hinc nobis, cum se ferat illa videndam,
Sunt data luminibus visa iocosa meis.
Sed nondum mihi sidereos advertit ocellos.
Aspice, si sapiat nostra puella satis.
15 Nam, cum durus Amor iam torreat ossa, veretur,
Ne nimis ardentes suggerat ipsa faces.
At, quanto magis illa mihi contraxit habenas,
Durius hoc nobis imperat asper Amor.
Nam, dum, quae rutilos superant Hyperionis ortus,
20 Lumina fixa solo, casta puella, geres,
Dum sic purpureum suffuderis ore pudorem,
Grandior hinc nostri causa furoris eris.

26. *Ad Braccium Martellum.*

Quid, Bracci, totiens graviter me impellere tentas,
Ut scribam laeto carmina laeta pede?
Desine me tantum monitis urgere severis,
Desine me verbis cogere, amate, tuis.
5 Laetos laeta decent, me carae fata puellae
Aeterna cogunt vivere maestitia.
Nunc elegi, heu, nimium nostris sunt fletibus apti,
Nunc dolor inde gravis flebile carmen amat.
An ego non miseris obtundam cuncta querelis,
10 An mihi non lachrimae fluminis instar eant,
Cum quae sola mihi tantum dilecta fuisset,
Unica nec quantum pignora mater amat?
Me miserum ante diem fato praerepta nefando
Liquerit in tantis Alba pudica malis.
15 Sic, ubi mors nitidos extinxit tristis ocellos,
Luce magis solis qui nituere mihi,
Perpetuis lachrimans versabor, amice, tenebris
Et miser in luctu tempora longa teram,
Ut, Phaethontiadum fuerit quae fata sororum,
20 Dum fratrem lugent nocte dieque pium,
Nunc eadem timeam nimium crudelia nobis,
Umbris dum dominae mittimus inferias.
Ast, hunc si quando possim sedare dolorem
Aut aliquem lachrimis imposuisse modum,
25 Tunc ego non dubitem, quod vis, Martelle, quod urges,
Ludere iam totiens vota petita tibi.
Nanque canam, placidum sic sis habiturus amorem,
Annuat optatis sic Cytherea tuis,

Ut Florentinas praestet candore puellas,
30 Quae sola ingenium est digna subire tuum,
Nec tantum tulerit quas nostri temporis aetas,
Sed facie priscas vincat ut illa nurus.
Ausim quin etiam formis praeferre dearum,
Vidit in Idaea quas male valle Paris,
35 Nam, si visa foret superis haec mixta figuris,
Cum grave iudicium de tribus ille tulit,
Diceret hanc divas forma vicisse supremas,
Diceret et Veneri: Vinceris, alma Venus.
Aequo sic animo praeferri passa fuisset
40 Iudicio cedens hanc dea quaeque sibi.
Ex quo non ira in spretas cecidisset acerba,
Iudice nec Phrygio numina laesa forent
Nec patriae turpis gravius nocuisset adulter,
Per mare dum munus exitiale petit,
45 Non Helene Paridi nimium placuisset iniquo,
Dum ius hospitii frangeret ille sacri,
Nec Iuno in Teucros movisset bella Pelasgum,
Sed staret Priami regia celsa senis,
Hecuba nec miserae praeberet tristia vitae
50 Exempla in rabido facta dolore canis.
Sic odio dignus quanto fuit ante malorum
Tam gravium Teucris causa nefanda Paris,
Egregiae tantum laudis Marietta tulisset
Non belli, at pacis causa futura bonae.

27. *Eulogium in Albam morientem.*

Vos igitur mortis causas praebetis acerbae,
Estis et exitio, rura molesta, gravi.
Non sic vos curvo coluit Saturnus aratro
Primus et in sterilem semina iecit humum,
5 Ut miseros homines fato raperetis iniquo,
Viveret at vestris ut bene quisque bonis.
Vos modo tam saeva rapitis mihi morte puellam,
Dimidium vitae quae fuit una meae.
Nam, dum rura colit, prima est abrepta iuventa,
10 Dum ruit in tenerum trabs inimica caput.
Quis labor, heu, fuerat, fugeret dum cara puella,
Labentem murum sustinuisse, Lares?
Quae vobis teneris hanc sic rapuisse sub annis,
Proh superi, ante diem gloria tanta venit?
15 Alba, quid optatam vocitas, heu, saepe parentem,
Niteris aut verbis flectere fata piis?
Desine, non meritis Parcae precibusque moventur,
Sed legem servant numina saeva gravem.
Nam, dum forte cupis nimia pietate puellum
20 Pellere ab extremis, Alba benigna, malis,

Occidis infelix fato moritura severo,
Dum cadit in tenerum dira ruina caput.
Heu, quis tunc matri cernenti talia sensus,
Qualis in exangui corpore vita fuit.
25 Candida cum natae morientia viderat ora,
Ferre nec extremo tempore posset opem.
Et, nisi quod subito stupuit devicta dolore
In medio linquens languida membra solo,
Non potuit tanto cernens superesse dolori,
30 Sed fuit in natae morte casura parens.
Olim vos fateor, saevissima numina, Parcae,
Formosas odio corripuisse gravi,
Sed, quae maiori tandem vos crimine damnet,
Mortua iam pridem nulla puella fuit.
35 Extitit haec nymphis quanto formosior una,
Etruscus nitidis quas lavat Arnus aquis,
Invidia tanto graviori vestra ferentur
In dominae exitium vulnera facta meae.
Si neque vos pietas movit neque casta puellae,
40 Vita nec in turpi crimine facta rea,
Debuit at formae saltem movisse nitentis
Gratia, cessisset cui Cytherea libens.
Lumina, credo equidem, potuissent splendida silvis
Vel mediis rabidas perdomuisse feras;
45 Purpureus poterat lapides pervincere duros
Candori nulla mixtus ab arte color.
Heu, quid non talis movissent ora puellae
Collaque brumali candidiora nive?
Vos lapides duro superatis pectore, Parcae,
50 Durius aut si quid gignere terra potest,
Hanc quia vos saeva rapuistis morte puellam,
Qua nusquam vita dignior ulla fuit,
In qua consumpsit tantum natura laborem,
Ut mira summum fingeret arte decus,
55 Ut, nisi quis casus nimis hanc rapuisset acerbam,
Frangeret aut plenas Parca maligna colos,
Vixisset, donec polus aurea sidera pascet,
Ardentes donec sol agitabit equos.
Testis erit corpus vita exhalante relictum
60 Inficiens nulla candida membra nota.
Nona dies aderat crudeli funere rapta,
Cum iacuit gelido cara puella toro,
Cum venit absentis miseras ad coniugis aures
Uxorem fato succubuisse gravi.
65 Ut rediit tandem rumore accitus amaro,
Sensit et in tristi condita busta solo,
Arserat impatiens uxoris membra pudicae
Visendi subito, qualiacunque forent.

Instabant cuncti graviter, ne vellet, amici,
70 Flaccida iam longa membra videre mora;
Attamen e nigro promatur ut illa sepulchro,
Vicerunt miseri vota dolenda viri.
Ergo, ubi dimotus, qui cygnea colla tegebat,
Atque palam gelidus fecerat illa lapis,
75 Qualia viventis patuerunt ora puellae
Candida nec turpi commaculata situ,
Ut, quisquis roseae longa post morte puellae
Viderit a nullo corpora laesa rogo,
Dixerit, heu, miserans: Durabunt talia semper
80 Membra nec a longa conficienda die.
Quo magis hanc doleo crudeli funere raptam
Sic, Venus, ante diem te potuisse pati;
Nam, velut illa tuae fuerat par forma figurae,
Illa quidem meritis maxima forma tuis,
85 Sic decuit longum servari semper in aevum,
Ne fieret saevae praeda cruenta neci.
An quoque te livor carpit, Venus aurea, divam
Et premit invidia pectora sancta gravi?
Sic est, heu, carae nocuit pia forma puellae,
90 Invidia superas nec caruisse deas.

28. *Ad Annalenam feminam castissimam carmen in elegiam subsequentem.*

Surge, liber, nigram tristis nunc indue vestem,
Nanque color lachrimis convenit ille tuis.
Vade, dolor si te iam nunc sinat ire nefandus,
Quem capis, atque Annae casta sacella pete.
5 Tu tamen hic dubius ne sis aut inscius erres,
Huc iter ista tibi signa notanda dabunt.
Invenies pontem, qui tertius imminet undis,
Quas Arnus placidis in mare volvit aquis.
Quae surgunt Fesulis post haec suffulta columnis,
10 Candida templa petes spirituamque domum.
Hunc a fronte locum, quo mitteris, inde videbis,
Est modo qui gradibus meta futura tuis.
Veneris huc postquam, primum prece numen adora,
Quod sibi praecipuum casta sacella colunt.
15 Hinc ubi conversus pulsaveris ostia solers,
Quae tibi prima domus interioris erunt,
Ostia pulsanti custos reserabit amicus,
Nanque patet castis protinus ille locus.
Atria iam subiens cernes loca digna videri
20 Plurima, te quorum non remoretur amor,
Quo minus Annalenam, liber, hanc, maestissime, visas,
Quae gravis accessus est tibi causa tui.

Vestales quanquam spectabis in ordine castas
Fundentes sacras in sua vota preces,
25 Invenias licet ipse locum, qua parte fuisset
Haec tibi, quae lachrimas suggeret usque graves,
Sed puto, non facies, nam sunt graviora, fatemur,
Haec praecepta, damus quae tibi, parve liber.
Te nihil, heu, poterit, video, retinere ruentem,
30 Quo minus hunc adeas inspiciasve locum,
Quo minus haec miseris implens loca questibus amens
Effundas querulis verba dolenda modis,
Parcius ista tamen linguis quia forte favendum
Est ibi, tu facies parcius ista tamen.
35 Cum dederis lachrimas nullis clamoribus actas,
Implerit tacitus cum tibi corda dolor,
Annalenam properans adeas dominamque salutes,
Si dare, qua careas, maeste, salute, queas.
Hanc ubi convenies sacrata in sede locatam,
40 Quae tibi divini numinis instar erit,
Dic, quo consilio, quibus aut rationibus actus
Viseris hanc vel sit quae tibi causa viae.
Dic, age, sed vultu, qualem decet illius esse,
Qui miser in lachrimis tempora longa terat.
45 Dic, liber, Albieram sic te doluisse cadentem,
Dum ruit, heu, fatis rapta puella malis,
Ut nihil acciderit quondam tibi tristius usquam
Nec sit, quod gravius pertimuisse queas,
Ut, Phaethontiadum fuerint quae dura sororum,
50 Haec eadem possis fata timere, liber.
Cum tamen haec ita sint, non est minor ille, supremum
Sit quamvis, sapiens quem capit Anna, dolor.
Dicitur haec etiam lachrimas fudisse pudicas
Albitiae fato virginis acta gravi.
55 Nec mirum, sic Anna piam dilexit alumnam,
Pignora sola velut Ansia mater amat.
Hanc ubi sis igitur sacro veneratus honore,
Insuper haec illi pauca, sed apta refer:
Non ego te, mater, iubeo deponere curas,
60 Quas tam legitimo victa dolore geris,
Haec tantum facienda putes nunc, Anna, rogabo,
Quae facienda tamen sunt quoque visa mihi,
Ut tantum spatii tribuamus uterque dolori
Et tantus nostris sit modus ut lachrimis,
65 Illius ut memores solitum servemus amorem,
Hanc ut uterque prius, nunc et uterque colat.
Tu precibus sacrum castis augebis honorem,
Est quem pro meritis nuper adepta suis,
Ast ego, quae totum fuerint celebranda per orbem,
70 Illius in nomen carmina sancta canam.

Sic ea te superis melior duce fiet in oris,
Vivet et hic numeris aurea facta meis.

29. *Eulogium in Albieram Albitiam morientem ad Sigismundum Stupham eius sponsum.*

Huc, quaecunque tenes Arni vada fluminis aut quae
Incolis Etruscas, nympha pudica, domos
Et quaecunque piae mores imitata Dianae
Prosequeris castos per iuga summa choros,
5 Huc, precor, ut venias pectus percussa decorum
Et manibus maestas dilaniata comas.
Nanque Fluentinis formosior una puellis
Occidit, Albitiae fama decusque domus.
Occidit Albierae fato pia forma nefando,
10 Cura patri misero, cura dolenda viro.
Nec fuit indignum, saevissima numina, Parcae,
Illius, heu, plenas sic lacerasse colos.
Vix haec infelix vitae tria lustra peregit,
Cum cecidit saevae facta rapina neci.
15 Profuit Albitiae nil optima forma puellae,
Qua poterat superas urere pulchra deas.
Ah, quotiens dolitura nefas Venus aurea dixit:
Illa Cupidinibus altera mater erat.
Quid iuvat ingenium, variis quid lingua figuris?
20 Pallada quid prodest mille referre modis?
Quidve pudicitiam penitus servasse? Quid aureis
Moribus Etruscas exuperasse nurus?
Optima quaeque rapit tollens tria Cerberus ora,
Deterius numeris praevalet omne suis.
25 Flos erat, ipsa cadit moriturque Polyxena virgo
Iam sene tam miserum matre vidente nefas,
Interpres superum cecidit Cassandra deorum,
Hecuba delirans inde superstes erat.
Quid referam matris pro te, quid vota mariti,
30 Plura licet fuerint, nil valuisse tamen.
Atra dies aderat vitae tibi terminus actae
Fortibus illa quidem saepe tremenda viris,
Iam stabat vacuaque colo dea de tribus una,
Ut secet auratas livida Parca comas,
35 Cum solata virum, cum tu solata parentem
In trepidis loqueris talia verba modis:
Sancte, quid, heu, coniunx, lachrimas ita fundis acerbas,
Quid, pater, ingeminans verba dolenda refers?
Tristia quae vitae disrumpit stamina, Clotho
40 Non audit miseras invidiosa preces.
Illa proterva magis, semper magis improba saevit,
Quo magis est meritis exagitata piis,

Neve, quod illa manus mihi nunc inferre moratur,
Id facit a verbis Parca retenta bonis.
45 Sed, quia Saturni superis expectat ab oris
Improba de nobis tristia signa dari,
Quae simul accipiet, non me remorabitur hora,
Lurida sed nigras inferet illa manus.
Non genus Albitium, talis neque gratia formae,
50 Spectatis qualem, proderit ulla mihi.
Non decus, heu, famae, non vita pudica nec aetas
Me queat e nigris eripuisse rogis.
Nil, Sismunde, tibi fuerim, quod sponsa iuvabit;
Me tua defendet mutua cura nihil.
55 Nil prodesse queat cari mihi cura parentis,
Is licet assiduo corda dolore premat.
Proderit haud populus faciens mihi vota benignus,
Vota procellosis illa ferenda Notis.
Et calcanda semel cunctis via mortis acerbae,
60 Omnibus atra semel Styx adeunda palus.
Discite, qui statis iuvenes teneraeque puellae,
Terrenis solidum rebus adesse nihil.
Plura locuturae gelidum mors improba pectus
Occupat et saevas iniicit usque manus.
65 Illa graves tollens oculos vix pectore ab imo:
O pater, o coniunx, — inquit, — amate, vale!
Dixerat et fatis tandem confecta malignis
Deserit in gelido candida membra toro.
Hic quos clamores dederit pia turba dolentum,
70 Musa licet faveat, nemo referre queat.
Nam patris ut sileam gemitus sileamve mariti
Utque pius lachrimas fudit uterque pias.
Astabant matres lecto tristesque puellae,
Copia carminibus non referenda meis.
75 Quaelibet ac miseris tundentes pectora palmis
Figebant gelidis oscula maesta genis.
Tractabant aliae niveum de vertice crinem,
Posset Apollineas qui superare comas.
Atque aliqua ex illis dixit: Fera Parca, supremas
80 Iam potes e medio tollere acerba deas.
Iam potes in superos tua iura tenere beatos,
Si cecidit manibus sic dea tanta tuis.
Nam, velut haec fuerat formosior una deabus,
Credideram, penitus ne moritura foret.
85 Haec cum nympha tibi non exaudita referret,
In nemus Elysium candida vertis iter.
Huc te mortales nullae comitantur euntem,
Sed quibus in superas sunt loca certa domos.
Relligio, Pietas te sunt Charitesque secutae,
90 Te Decus ingenuum purpureusque Pudor.

Quid memorem sanctamque Fidem caramve sororem,
Icarea lances quae tenet arte pares?
Teque Pudicitiae decor aureus, aurea summae
Forma Venustatis rite secuta fuit.
His comes irriguos fontes et amoena vireta
Deveniens nuribus prata tenenda piis,
Per Tiberim Romae matrem quae sola deorum
Traxerat, occurret Claudia Prisca tibi.
Illa manu capiens te per nemus ire docebit
Erudiens cultus casta puella pios.
Hic expectabis fidum dea facta maritum,
Mortales donec deserat ille vices,
Est ubi tam tristi fatorum sorte negatum,
Dum superes, tecum vivat ut ille simul,
Sitis ut hic iunctis animis et mente futuri,
Dum sol occiduas ingredietur aquas.

30. *Alloquitur suam Musam atque hortatur, ut, quemadmodum prima doluit, sic ultima dolorem prosequatur.*

Prima velut lachrimas statuisti fundere primas
Albitiae fato virginis acta gravi,
Sic precor, ut posthac longum, mea Musa, dolorem,
Quem modo coepisti, continuare velis.
Carmen ut ad maestum quosdam movisse videris,
Sic reliquos tristi fronte movere queas.

31. *Epitaphium Albierae Albitiae.*

Quid iuvat Albieram ingenium, quid forma, quid aetas,
Quid te nobilitas Albitiumque decus,
Quid te, quod iuveni primati sponsa fuisses,
Quidve Pudicitiae cuncta dedisse piae?
Ecce iaces, subito truncant dum fila sorores,
Delitiae patris delitiaeque viri.

32. *Aliud in eandem.*

Care, quid, heu, coniunx, lachrimas ita volvis inanes?
Nil iuvat, heu, fuerim sponsa quod ante tibi,
Nil genus Albitium, nil, heu, mihi vita pudica,
Nil valet in mortem forma suprema mihi.
Quod tamen Albierae rapitur mihi fraude maligna,
Viventi pensent hoc tibi fata. Vale.

33. *Distichon in Albieram eandem.*

Coniuge quid rapta lachrimas, Sismunde, pudicas
Fundis? Sum vulgo mortua, vivo tibi.

34. *Aliud.*

Albierae fato iacet hic pia forma severo,
Ante diem misero rapta puella viro.

35. *Aliud.*

Mortua sis reliquis quamvis, sanctissima coniunx,
Aeternum vives tu tamen una mihi.

36. *Aliud.*

Albierae nil triste tulit mihi mortis imago,
Vir, me sola tui cura molesta premit.

37. *Aliud.*

Conditur Albierae decus hic et forma puellae,
Maxima cura viri, maxima cura patris.

38. *Aliud.*

Ne, pater, ulla mei quoquam tibi cura recedat.
Mortua quis putet hoc? Nunc tibi vivo magis.

39. *Tetrastichon in eandem.*

Pone modum lachrimis, Stygias nam busta tenebras
Cum semel intrarunt, non revocare datur.
Nam tua, mi genitor, satis haec mihi cura fuisset,
Tam cito ne rapiar, si modo fata sinant.

40. *Aliud.*

Proh dolor, Albieram sic te fata impia tangunt?
Ausa nefas tantum sic rapit atra dies.
Credideram, veluti formosior una deabus
Protinus extiteras, ne moritura fores.

41. *Aliud.*

Si formosa decens, si sum tibi visa pudica,
Si tibi, dum vixi, maxima cura fui,
Albierae subeat cum nunc pars optima caelum,
Me mage, quo melior sum, vir, amare velis.

LIBER II.

1.

Nomina te quamvis defendere posse videntur,
Quae veniunt numeris commemoranda tuis,
A te principibus quae sunt inscripta canendis
Edita per titulos, parve libelle, suos,
5 Non tamen illa diu te, nunc mihi crede monenti,
Mortis ab extrema pellere sorte queant.
Nam, cum nec Musae nec te tueatur Apollo
Nec tua sint cedro carmina digna legi,
Illa cadent turpi tandem vitiata senecta,
10 Vestiet aut illis pharmacopola piper.

Tu, nisi confugias Medicum bene cautus in arces,
Est ubi certa salus praesidiumque bonis,
Huc igitur securus abi, securus ut hinc tu
Audaces spernas in tua terga manus,
15 Nam, si, qui Lydas illinc, Laurentius, urbes
Temperat et Tusci frena leonis habet,
Te, liber, ingenti Medicum dignatus honore
Hospitio dignum censeat ille suo,
Per tibi Tyrrhenas urbes volitare licebit.
20 Quo libet, et nullas extimuisse minas.
At, tua si Medices doctus leviora putabit
Carmina nec numeris emodulata bonis,
Intrabis solitas latitans, heu, sprete, latebras,
Illudat misero ne tibi vulgus iners.

2. *Ad Laurentium Medicen.*

Forsitan inquiras, cur haec tibi carmina mittam,
Quae fuerint aliis edita nominibus.
Cum tibi debuerim potius tua mittere facta,
Laurenti, numeris emodulata suis,
5 Hac ego praecipue moveor ratione, quod illa
Non mihi sunt titulis visa aliena tuis,
Ad te non tantum quoniam spectare videntur,
Quae tua sunt gravibus facta canenda modis,
Sed quoque, si qua prius nobis memorentur, ut haec sit
10 Aptior in numeros nostra Camena tuos.
Hinc igitur, Medices, cum iam tua dicere facta
Aggrederer levibus non referenda sonis,
Sum tamen haud numeris prius haec attingere nostris
Ausus et in nostros illa referre modos.
15 Quam tibi praeludens regum memorarit honores
Musa per illustres currere docta viros.
Ergo, ne tales dubita legisse libellos,
Hi quia sunt titulis praevia turba tuis,
In quibus aspicies, quanti tua maxima facta
20 Et quibus illa viris anteferenda putem,
Cum tibi non vulgus, — quid enim tibi convenit ille? —
Cum tibi non humili condicione viri,
Sed tibi pontifices summi regesque ducesque
Praeludant numeris carmina prima suis.

3. *Ad Aeneam Pium pontificem maximum.*

Si Pius Aeneas Phoebi deductus in antrum
Laurigeras merito finxerat inde comas,
Te rogo, dum canimus, nemoris regina beati,
Tam gravibus coeptis, Calliopea, fave.
5 Sed, me si tanto nondum dignaris honore,
Necdum Pieridum tangere sacra velis,

Attamen id vestro placeat dare, Musa, poetae:
Quis negat Aeneae carmina vestra Pio?
Quem simul ac genuit felix Victoria mater,
10 Ut daret in lucem pignora tanta novam,
Tollere vos, Musae, subito statuistis, ut esset,
Qui queat Aonios concinuisse modos,
Qui queat, id quotiens vati iubeatis, in omnes
Carmen Apollinea grande referre lyra.
15 Nam, foret ingenio ne quis praestantior alter,
Illius implestis pectora lacte sacro,
Illius in nidita Cirrhaei gurgitis unda
Lavistis manibus membra tenella sacris,
Nomen et infanti primis posuistis ab annis,
20 Quod dedit et Phrygio Graecia prisca duci.
Felix, o nimium felix, cui candida Musae
Libarunt teneris oscula mille genis.
Ast, ubi crescenti venit quoque firmior aetas,
Posset ut ingenio plurima nosse gravi,
25 Orphi Calliope dederat quod mater alumno,
Hoc dedit et vati pulcher Apollo Pio.
Nanque, ubi te Phoebus iuvenem deduxit in antrum,
Unde solent vates incaluisse novi,
Hausisti tantum Phoebea ex rupe furoris,
30 Divinus quantum sumpserat ante Maro.
Sic priscos docuit vates quaecunque vetustas,
Omnia sunt celeri cognita mente tibi.
Hinc quoque vaticinans, quae mox ventura trahantur,
Quam bona te maneant fata tuosque, canis.
35 Sum pius Aeneas, dixisti saepe, futurus,
Sunt Iovis et manibus sceptra gerenda meis.
At tibi tot numeros divino ex ore canenti
Ingeminat plausus quaeque Camena suos.
Hinc tibi, qua rigidas possis bene flectere quercus,
40 Donavit doctam Calliopea lyram,
Qua nova tam suavi modularis carmina plectro
Atque ita divinos concinis ore modos,
Orpheos ut matrem dilecti oblivia captent,
Soletur cantu cum sua vota tuo.
45 Haec quoque sic monitis ad te precibusque pudicis
Ornandum reliquas impulit una deas,
Ut te non aliter, quam si deus alter adesses,
Praeficerent sacris, dive poeta, suis.
Nec socium Phoebus te dedignatus honestum est,
50 Sed sibi te firma iunxit amicitia.
Ex hac cum dederit pariter te ferre coronam,
Qua premit auricomum fronde virente caput,
Sumere cum citharam te sit quoque passus eandem,
Qua solitus laudes concinuisse patri est,

55 Sic, dum Castalias doctus spatiaris ad undas
Dumque frequens lymphis proluis ora sacris,
Iuppiter ipse diem ratus est venisse, nitentis
Quo Pius acciperes sceptra tenenda poli.
E natis igitur vocat hunc, quem candida Maia
60 Dicitur aethereo progenuisse Iovi,
Cui pater ut melius daret haec mandata ferenti
Omnipotens, verbis talibus alloquitur:
I celer, i, doctas nostro pete nomine divas,
I memor, i, Musis haec mea dicta refer.
65 Aeneam dic, nate, dedit cui Phoebus Apollo,
Ut lavet Aonio, cum velit, amne caput,
Me cupere, ut nostris terrarum temperet orbem
Legibus et nostras ut gerat arte vices.
Paruit ille Iovi subito nihil inde moratus,
70 Quo minus inceptum prosequeretur iter.
Ergo citis velox pedibus talaria nectit,
Quae celerem faciant aere per liquidum;
Tum capit et virgam in ventos capitique galerum,
Solis ut ardores sentiat inde minus.
75 Iam iuga Parnasique tenet cernitque puellas
Per nemus umbriferum ludere Pieridas,
Inter quas viridi nectens de fronde coronas
Dat bene pro meritis Calliopea viris.
Nam tum forte suos umbrosa in valle sedebat
80 Undique collustrans diva benigna choros,
Cum deus adveniens, quae sint mandata tonantis,
Grandibus explicuit gra[illegible]ia verba sonis:
Me pater omnipotens ad [illegible] me mittit euntem,
Pierides, summi maxi[illegible] a patris.
85 At vos altisoni ne temnite i[illegible]a tonantis,
Laedant nec mentes sensa paterna pias.
Sic visum est superis, ut, qui iuga vestra frequantat,
Qui colit umbriferum fronde virente nemus,
Si Iovis assumat capiti redimicula mitrae,
90 Si Iovis accipiat sceptra tenenda manu,
Cui velut Aeneas nomen fuit ante, quod unus
Laudibus innumeros vicerit ille viros,
Sic Pius in cunctis posthac vocitabitur oris,
Culta quod huic pietas praecipue fuerit.
95 Quin dabit et pater, ut lauri diadema virentis
Frondibus annexum tempora docta tegat.
Nanque suis ita vult sacris adhibere supremis
Iuppiter Aeneam saecla futura Pium,
Servet ut Aonios, quibus hunc donastis, honores,
100 Vos colat altrices semper, ut ante, bonas.
Sic ait. At verbis Aeneam affata benignis
Talibus eloquitur Calliopea modis:

Audisti, Aeneas, quae sint nova iussa tonantis,
Audisti, quo te fata benigna vocent.
105 I citus, i, summas igitur cape iussus habenas,
I citus, i supero nunc placiture Iovi.
Sed memor i nostri, nam, ni mea cura fuisset,
Ni tibi ni summus noster adesset amor,
Non daret, ut regeres totum tibi, Iuppiter, orbem,
110 Non daret auspiciis cuncta movenda tuis.
Vix ea finierat, subito cum candida nubes
Praeripiens vates occulit una duos
Et magnis, quacunque venit, fulgoribus ardens
Attrahit accensas per loca cuncta faces.
115 Post, ubi Romuleas subierunt nubila sedes,
Debebant vati quas pia fata Pio,
Iuppiter intonuit laevum, quo maxima tellus,
Quo media, pisces, contremuistis aqua.
Ast, simul ac tonitrus cecidit fragor ille supremi,
120 Omnibus ac rediit, qui, vigor, ante fuit,
Quae, bona, Saturno quondam regnante fuissent,
Senserunt Latii saecla redisse patres,
Te quali augurio, Romanae conditor urbis,
Fulvae nutrierant ubera plena lupae.
125 Nam, velut expositum nutrix ex Thybridis alvo
Sumpserat, innocuum ne gravet unda caput,
Sic lupa nunc eadem nutricis nomine iaetum
Protulit Aeneam Martia lacte suo;
Ut Remus in Latio Romanam condidit urbem,
130 Imperium cuius Thrax subiturus erat,
Sic Pius Aeneas Tiberina in sede locatus,
Ne modo victa ruas, Martia Roma, videt,
Extremas quoniam Teucros detrudet in oras,
Itala ne subeat tam grave terra iugum.
135 Mantua sic testis, quo flumine moverit omnes
Ad pia pro Christo bella gerenda duces.
Candida cui ternae sic ducant fila sorores
Sicque velint terras hunc habitare diu,
Ut modo, cum summos Teucra de gente triumphos
140 In Capitolinam duxerit ille domum,
Orbis et in placida terrarum pace quiescet
Et fiet bellis hinc scelerique modus.

4. *Ad Ludovicum patriarcham.*

Nunc mihi, Phoebe, novo iam carmine surgere tempus
Iamque gravi faveas, pulcher Apollo, lyra.
Nunc vos, Pierides, vatum tutela piorum,
Quas sacra Permessi fluminis unda lavat,
5 Nolitis, quaeso, tantis me linquere coeptis,
Amplius aut ulla detinuisse mora,

Nam mihi non teneri nunc decantantur amores
Nec venit in carmen fabula ficta meum,
Maxima cum tentem gracili modo ludere versu
10 Facta quidem levibus non referenda modis,
In caelum gradibus, quibus hic ascendit, honestis
A primo primus qui loca prima tenet
Utque suam tenera studiis aetate iuventam
Maluerit sapiens enituisse bonis.
15 Nam neque consilium levibus consumere tempus
Rebus et in ludis consenuisse fuit,
Sed bona Aristotelis docti praecepta secutus
Moribus imbuerat pectora sancta probis
Et, quae Socratici possunt afferre libelli,
20 Ingenio didicit dogmata prisca gravi.
Insuper ambiguis aenigmata solvere doctus
Vel summos acri vicerat arte viros.
Quid referam, post haec tali suffultus ut arte
Noscendas rerum duxit adire vias?
25 Cum norit, quanta caelum ratione movetur,
Cur venit in nitidis Lucifer almus equis,
Cur sol deficiat, lunae quae causa laborum,
Cur variet lumen Cynthia pulchra suum,
Unde Notus nigras inducat flamine nubes,
30 Iris et in pluvias aera vertat aquas,
Vere novo potius vireat cur gramen in arvis
Curve novas arbos proferat alta comas,
Quid rigidis aestu flavescat campus aristis,
Sirius et radiis torreat arva malis,
35 Unde trahit rubrum turgescens uva colorem,
Munere quae nobis est data, Bacche, tuo,
Frondibus excussis autumni frigore primo
Cur suus arboribus eripiatur honos,
Frigidus hibernos cur mittat Iuppiter imbres,
40 Quo venit in fluvios fonte perennis aqua,
Humanas adeo terrent quae, fulmina, mentes,
Cur Iovis e summo vertice torta ruant,
Quid rigeat medio concretus in aere nimbus,
Unde nives volitant diraque grando ruit
45 Et quaecunque potens mundo natura creavit,
Quorum principium causaque operta latet.
Haec tibi iam dudum, princeps doctissime, summo
Ingenio memori mente reposta manent.
Nec te poenituit tantum sumpsisse laborem,
50 Talibus aut studiis invigilasse diu.
Nam tu pontificis felicia tempora nactus,
Qualem rara virum saecula ferre solent,
Eugenio summo te praemia digna tulisti;
Ingenti merces aequa labore fuit.

55 Nanque, ubi te vidit divina praeditus arte
Viribus ingenii cuncta movere novis,
Dat Florentinae pastorem protinus urbi;
Sic capis auspiciis omina prima bonis.
Mox tamen agnoscens summae virtutis honori
60 Non ea, quae caperes, dona fuisse satis
E sacro tandem te cardinis ordine primum
Eligit — ah, meritis praemia quanta tuis —
Et simul imperii ducendas tradit habenas,
Ut celeres flectas, quo libet, acer equos.
65 Hinc tu pace bonus, quid curia celsa beati
Principis et quantum mens pia tractat opus,
Solus agis, solum te caetera turba tuetur,
Pendet ab obsequio curia cuncta tuo.
Sic te felicem populi regesque vocabant,
70 Qui posses tanto grata referre viro.
Et merito; quis enim Latiis fuit alter in oris,
Plura domi gereret qui bene, plura foris?
Quae licet, ut fama est, latum vulgata per orbem
Gesserit Eugenius maxima facta pater,
75 Nil sine te tamen est ausus tentare magistro,
Nil sine te rapidis credere vela Notis.
Sic, quia te norat pariter vel pace vel armis
Egregium, bellis te iubet esse ducem.
Tu modo, Calliope, teneri rege vatis habenas,
80 Res venit auxilio nunc mihi digna tuo.
Piccininus enim cum Lydum forte leonem
Speraret tacitis fallere posse dolis
Atque huc innumeras ductasset fraude cohortes,
Quo Florentinos noverat isse duces,
85 Hic prius, ut decuit, precibus, dux magne, pudicis
Christiferam vocitas in tua vota deam.
Inde, ruens Geticis solet ut Gradivus in arvis,
Aggrederis signis agmina densa sacris.
Coeperat adventu cuius male territus hostis
90 Turpiter indignae vertere terga fugae,
Hostili donec caesorum Anglaria vallis
Respersam multo sanguine vidit humum.
Haec sed quanta tui fuerant monumenta decori?
Sunt maiora, quibus tendere in astra iuvat.
95 Nam, summus dubio quae quondam tempore pastor
Perdiderat fatis pascua multa malis,
Te duce sunt penitus cultori reddita primo
Et data Piceno pristina iura solo.
Omnia sed postquam per te pacata fuerunt
100 Grataque Christicolis pax venit orta viris,
Non dubitas acres Teucrorum visere turmas
Undisoni subiens saeva pericla maris.

Cycladas indomito transisti Marte per aequor
Notaque fatidico litora sacra deo
Extremasque tuum nomen penetrarat in oras,
Omnibus et magni causa timoris erat.
Caesareo pridem perculsa ut nomine tellus
Barbara Romuleas horruit illa rates,
Sic ducis adventu nimirum territa sacri
Vectos extimuit per freta longa viros.
Barbarus haud solitas ausus conscendere naves,
Ne fieret summo praeda petita duci,
Nam, quicunque tuas offendens forte carinas
Audaci voluit bella ciere manu,
Aut captus magni fuerat pars iusta triumphi
Aut fuerat Christo victima facta deo.
Ast, ubi barbaricas iam cuncta per aequora classes
Fudisti et longi dempta pericla sali,
Incolumis Romam divino numine victor
Vexisti laeta parta tropaea rate.
Sic superes longos antiqui Nestoris annos,
Sic dentur vitae candida fila tuae
Sicque caput triplici cingat tibi mitra corona,
Sic subeas divi limina sacra Petri,
Ut nunc Roma virum prisca virtute fideque
Consimilem ducibus te videt esse suis.

5. *Ad Ludovicum eundem.*

Huius, Musa, velim, qui cardinis ordine fulget
Primus et a primo qui loca prima tenet,
Tu modo ne dubites summos intrare penates,
Gressibus at properis tecta superba pete.
Denique tu tanti veniens in principis aulam,
Ad magnos fueris cum revoluta pedes,
Dic, si, quo carum dilexerat ante parentem,
Dignetur natum nunc in amore parem,
Me fore non alium, melius qui iussa facessat,
Qui magis aut illi grata referre velit.

6. *Ad Nicolaum Scarampam.*

Est locus, haud procul Etrusca qui distat ab urbe,
Relligione sacer, quem pia turba colit.
Hic viret horrenti lucus densissimus umbra,
Plurima quem circum laurea silva tegit.
In medio tumuli vivo de caespite surgit
Christiferae pendens ara dicata cruci.
Huc ego me meditans, ut fit, cum forte tulissem,
Poneret ut curas mens ibi fessa graves,
Admonitus specie nemoris specieque sacelli,
Quod mihi Cirrhaei numinis in[illegible] erat,

O mentem, dixi, nobis inspiret Apollo,
Qua modo Scarampae carmina pauca canam,
Sed sibi par simili possint quae munere donum
Reddere fatidico vaticinata sono.
Vix ea finieram, vix sum pia verba locutus,
Vix pia sunt cupido vota peracta mihi,
Cum sacer hic tremuit tumulus flectensque cacumen
Contigit herbosam vertice laurus humum
Adventante deo, Phoebus nam forte nitentes
Haec mihi dicturus sistere iussit equos:

Oraculum ab Apolline editum.

Sit licet hoc magnum, quod poscis, Nalde, nec ullum
Mortalem deceat seriem novisse futuri,
Abnegat id quoniam, latum qui sustinet orbem,
Vixque sinit natum rerum me noscere causas
Neve potest quisquam praeter me nosse deorum,
Unde fit, ut solus valeam praedicere sortes
Instantis fati casusque referre futuros.
Attamen a nobis Scarampae carmina magno,
Quod petis, ut sacro possis rescribere vati,
Nunc optata feres, nunc evolvisse licebit,
Quod latet, et nostri iceris numinis augur.
At tu vera refer, ne quis te dicere falsum
Possit et in tanto mentitum pondere rerum.
Noras iam pridem, sacri quem cardinis ordo
Ornavit primum, cuius vulgata per orbem
Fama nitet, plures potuit qui solus in annos
Sustinuisse satis magnarum pondera rerum,
Maximus Eugenius Petri dum tractat habenas.
Hunc fore vaticinor, terna cui mitra corona
Debeat insignem meritis iam cingere frontem.
Ullo nec tantum sese iactabit alumno
Urbs Patavi, magnum mea lux dum circuet orbem,
Egregios fuerit quamvis complexa nepotes.
Hic rem Romanam nec longo tempore primus
Componet Teucrosque ruet nova bella gerentes,
Ultima vel referens inimico ex hoste tropaea.
Ah, quantos planctus edet gens barbara, quantos
Victa dabit gemitus, undantes sanguine fossas
Cum cernet summumque immensae stragis acervum?
Tunc gemini fratres venient, duo fulmina belli,
Quos Scarampa domus genuit, quibus ille duobus
Committet belli primas; sic fidus uterque
Ductabit longas acies magnosque triumphos
Inde domum referet, sed tu, cui nomen in aevum
Traditur e Graio deductum nomine victor,
Primus eris, clarum cui dat victoria nomen,

Primus tu palmas referes, Nicolae, perennes
Pontifici summo, qui te, cum viderit unum,
Credere cui posssit dubio res Marte gerendas,
60 Ductorem primum faciet primusque tuorum
Contundes populos insano Marte furentes.
Proxima post capiet frater loca, proximus illi
Continuo nitidis alacer fulgebit in armis.
Sic memores ambo priscae virtutis avorum
65 Insigni cupient vitam pro laude pacisci.
At tu, Nalde, novis venient cum tempora fatis,
Haec cum Parcarum iussu concessa gerantur,
Me duce concipies magnas in pectore curas,
Pontificis primas describes carmine laudes,
70 Ut latum Christi sub leges miserit orbem
Barbaricasque sacro delerit robore turmas.
Hinc Scarampa domus veniet tibi cura secunda
Et partos referes gemina virtute triumphos.

7. *Ad Nicolaum eundem.*

Haec cecinit Phoebus, quo non ut verior alter,
Protinus eveniant sic sua dicta, precor.
Eveniat lux illa, iterum qua Roma per orbem
Proferat imperium facta beata suum
5 Quaque tui sacrum triplici distincta corona
Principis innectat candida victa caput,
Maximus et positis qua Romam victor ab armis
Quattuor auratis ille vehatur equis,
Qua videam reges innexos colla catenis
10 Sectari sacrum per loca cuncta ducem,
Qua te conspiciam laurum, Nicolae, gerentem
Principis ad sanctos oscula ferre pedes.

8. *Contra Saturnum.*

Mentitur, quisquis priscorum tempora laudans
Aurea Saturni regna fuisse putat.
Cur ego crediderim tellurem semine nullo
Sponte sua fruges progenuisse novas?
5 Lacte quid irriguo manarint flumina primis
Fontibus in longas per vada sicca vias?
Nanque sitim nulli licuit sedare volenti
Inventum medio nectar habere solo,
Flava nec ilicibus fluxerunt mella benignis
10 Nec liquor in duro cortice dulcis erat,
Omnia sed contra, quae ferrea protulit aetas,
Tempore iam ex illo dira fuisse putem.
Frater in exitium fratris fera vincla paravit,
Instruxit nati funera cruda pater,

15 Femina tum didicit castissima rumpere iura
Alterius lectum scandere docta viri,
Tunc fures, tunc bella putem viguisse nefanda,
Durius aut si quid ferreus orbis habet.
Nanque malis hominum si nunc laetatur ut hostis,
20 Candidus aethereas dum tenet ille domos,
Hunc ego crediderim mortali in corpore clausum
Humano generi consuluisse magis.

9. *Ad Sigismundum Stupham.*

Si vis propositum tibi continuare tenorem,
Rebus et optatum, Stupha, adhibere modum,
Hoc facito in reliquis, sed vatibus, optima de te
Dum referunt, semper credere cuncta velis.
5 Quod nisi tu facies, videas, mi Stupha, monemus,
Ne deus irasci nunc tibi iure queat.
Nam bene fatidicis non credere cuncta poetis,
Vatibus aut certam non adhibere fidem,
Non erit hoc hominis munus, Sismunde, modesti,
10 Quem cupis, aut solitum, Stupha, tenere modum,
Sed magis in superos erit hoc peccare, sed illi,
Qui replet et vates, credere nolle deo.

10. *Ad Bartholomaeum Scalam.*

Si quis, Scala, velit superum spectare penates,
Si quis et aethereas in Iovis ire domos,
Fallitur ille quidem, nisi tu mediator amicus
Protinus huic homini, Scala, futurus ades.
5 Nam modo, cum summo iam sidera vertice tangas,
Cum tuus en humilem pes quoque tangat humum,
Scandere non caelum potis est, non alta tonantis
Atria, ni gradibus nititur ille tuis.

11. *In Raphaelem divum.*

Ut iuveni casto, Raphael divine, fuisti
Obvius, ut dubiam disceret ire viam,
Hunc tibi sic populum facientem vota, precamur,
Ad sanum pariter ducere, sancte, velis.

12. *Ad laurum eodem, quo natus est, die plantatam.*

Si bene nunc memini, si rite audita recordor,
Si, te qui posuit, me monuisse potest,
Natalis fuerat nobis nascentibus idem,
Laure, simul primos vidit uterque dies.
5 Sed non est idem finis venturus eisdem,
Nec nos, ut genuit, auferat una dies.
Tu potes innumeros viridis durare per annos,
Me breve per spatium mors aditura manet.

Si tamen has liceat de te mihi carpere frondes,
10 Si dabit hoc votis Musa benigna meis,
Consimilem vitam sortitus, laure, videbor
Et, quod tu vivis, vivere posse diu.

13. *Eulogium in Albertum Christophori Landini filium.*

Ergo te infantem, nec vos nunc, fata, pudebit,
Ante diem rapuit livida Parca nimis.
Nondum luna suum rursus compleverat orbem,
Viderat aut nitidos aurea fratris equos,
5 Vix lucem aspiciens cum matris ab ubere raptus
Cogeris — infandum — funera acerba dare.
Profuit, heu, nusquam sanctae tibi cura parentis,
Dum prece sollicitat in sua vota deos,
Carmina non patris, vitreo quem fonte sororum
10 Laverat ut natum Calliopea suum,
Qui miser, ah, duram tentat dum pellere sortem
Et fidibus Parcas flectere posse putat,
Compulit ire feros montes et flumina cursum
Sistere et in silvis obstupuisse feras.
15 Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus
Threicia fretus vincere fata lyra,
Cur hic non poterat natum, dum vita manebat,
Tollere ab insulto, Parca maligna, tuo?
Nil ego crediderim durum potuisse tenorem
20 Vincere te modulis, prisce poeta, tuis,
Omnia sed vero finxit maiora vetustas:
Heu, nimium fictis credula turba sumus.
Nam neque divitiis cedit lex dura nec auro,
Fatorum aut ullis flectitur imperiis,
25 Quin etiam precibus surdas porrexerit aures,
Dum peragit cursum diva proterva gravem.
Carmine non blando moveas tu, carminis auctor,
Aut testudinea, pulcher Apollo, lyra.
Iuppiter ipse parens, nutu qui concutit orbem,
30 Stamina non fati diripuisse potest.
Quod si forte aliqua posset ratione moveri,
Quod sedet, heu, nimium Mors inimica, tibi,
Viveret Albertus, miserae spes una parentis,
Cogitur infernae qui dare vela rati.
35 Viveret, heu, cithara tecius, Landine, paterna,
Orphea qua poteras aequiperare senem.
Nec tua, dum castas tendis, Lucretia, palmas
Ad caelum, totiens irrita vota forent
Nec tu Mercurio genitus modo tam grave ferres.
40 Huic frustra medicas exhibuisse manus.
At vos, quae in tanto potuistis, fata, dolore,
Improba, nunc omnem vincere duritiem,

Scitote et, quantum tenui de stamine vitae
Demistis nato numina saeva pio,
45 Tantum Pieridum iustissima cura rependet
Maiorique illum faenore reddet avis.
Nam modo pro meritis natum, Landine, paternis
Suscipient Musae, pignora cara, tuum
Et puero pariter gremioque sinuque foventes
50 Certatim studeant ubera sancta dare.
Illic Pierio nutritum lacte per aevum
Edoceant Stygios non aditura lacus,
Illic et vivet, donec sol aureus orbem
Circuet aut lucem sidera clara dabunt,
55 Illic invenies, cum te lux ultima terris
Demet Apollineis invigilare choris.

14. *Ad Laurentium Lippium.*

Lippus erat priscus, lyricis cui versibus olim
Romanus primas usque daret populus,
Lippius agnomen tibi; nunc quoque carmen eburno
En lyricum plectro Musa benigna dedit.
5 Quam prope conveniunt igitur tua nomina Lippo,
Tam prope et ingenio sitis uterque pares.

15. *Ad Franciscum Castilionensem.*

Sit nemus antiquum licet hic in valle reducta,
Quod facit umbrosis laurus operta comis,
Assint Pierides licet et formosus Apollo
Pulset inauratae consona fila lyrae,
5 Hic licet in numerum videam saltare sorores,
E quibus in faciem respicit una duas,
Hic assit Venus ipsa licet Venerisque Cupido
Et quicquid blandum maximus orbis habet,
Non tamen ista iuvant sine te, quia solus in istis
10 Conspectu caream, docte poeta, tuo.

16. *Ad Antonium Tridentonem.*

Quam bene conveniunt, Musarum magne sacerdos,
Prisca Tridentonum nomina clara tibi.
Nam, velut aequoreas Neptunus temperat undas
Utque tridente suo commovet acer aquas,
5 Sic quoque tu seu vis aegros, divine Tridento,
Mortales dulci detinuisse lyra
Seu cupis hos rursus numeris impellere ad aestus
Mentis et ad tristes acrior inde minas.
Id facis egregie; sic, quod deus ille tridenti,
10 Docte Tridento, potest, tu potes ingenio.

17. *Ad Ugolinum Verinum.*

Hactenus insignem Phoebi laurique coronam
Gessisti meritis munera digna tuis,
At modo, cum Livor sanctos quoque carpere vates
Audeat et nostras sic temerare deas,
5 Te moneo, doctam cingas ut baccare frontem,
Invida ne possit lingua nocere tibi.

18. *Ad Philippum et Amergium Corsinos.*

Sunt gemini caelo fulgentia sidera fratres,
Quos magna ad caelum fama tulit celebres.
Hic pugili insignis palma fuit, alter equestri
Nemoque tantorum viribus aequus erat.
5 At vos, et gemini, paribus nunc artibus aequum est
Pieria caeli tendere in astra via.

19. *Ad Petrum Cenninum.*

Cum, Petre, quid valeam, meditor penitusque repostas
Ingenii vires mente voluto mei,
Sacri non ausim nomen sperare poetae,
Cum nequeam gracili magna referre lyra.
5 Sed, tu cum biberis lymphas Helicone petitas
Doctaque Gorgoneo tinxeris ora lacu,
Ut possis certo, quae mox ventura trahantur,
Iis, qui nosse velint, protinus ore loqui,
Suspicor interdum fieri quoque posse, quod augur
10 Carmine Lesboo vaticinatus ais,
Sed tamen hac illud puto condicione futurum,
Si, tibi quod dederit, mi quoque Musa dabit.

20. *Ad Phoebum.*

Si, quae Cassandrae spiraras, Phoebe, canenti,
Iussisti certa verba carere fide,
Supplicium sceleri dignum solvisse nefando
Hanc reor et poenas exhibuisse graves.
5 Cum neque Cassandram monitis privasse deorum
Te rear, extiterit causa quod ipsa levis,
Non tu turpis amans, ut mendax fabula dictat,
Contentus Daphne, Phoebe pudice, tua,
Sed tua quod nimium demens oracula tempsit,
10 Dum male credendum, quod canis, esse putat.
At me, qui semper colui tua numina ducens
Omnia praeceptis inferiora tuis,
Cur simili poena me damnas, Phoebe, canendis
Cum data carminibus sit mihi nulla fides.
15 Parce, precor, nam, si, qui nunc tua verba refundunt,
His hominum fuerit credula turba minus,
Et tua cessabunt monitis oracla futuris,
Nec deus, ut quondam, verior unus eris.

21. *Conqueritur de infelicitate sui natalis.*

Tristia tunc ternae ducebant pensa sorores,
Editus in lucem cum miser ipse fui.
Nunc coeptum servant crudelia fata tenorem;
Iactatam ventis fors agit ipsa ratem.
5 Vix mea bis senos aetas, heu, viderat annos,
Cum cari extuleram funera acerba patris.
Quin etiam moriens mater mihi, maxima cura,
Attulit hinc oculis tristia visa meis.
Nec, germane, minus, quam quondam Castora Pollux,
10 Dilexit fratrem, linquis, amate, pium,
Nam miser ante diem morbo praereptus acuto
Clausisti vitae vix duo lustra puer.
Praeterea res ipsa malis tutoribus acta
Urget in angustum pessima saepe locum,
15 Ut mihi, dum cupio placidas attingere Musas,
Quarum praecipue me modo raptat amor,
Tempora sint curis nunc impendenda molestis,
Fluctibus emergat navis ut acta malis.
Sed, postquam fato ducenda est vita severo
20 Meque bonis privat fors inimica suis,
Praestabo saltem, ne quis tot casibus unquam
Dicere me victum succubuisse queat.

22. *Ad Marsilium Ficinum.*

Panthoidem priscum post fata novissima silvas
Orphea mulcentem sustinuisse ferunt;
Post hunc ingressus divini corpus Homeri
Cantavit numeros ore sonante novos;
5 Pythagorae post haec manes intrasse benignos
Dicitur et mores edocuisse probos,
Inde, ubi digressus varios erravit in annos,
Ennius accepit in sua membra pius,
Qui, simul ac vates mortalia vincla reliquit
10 Et moriens campos ivit ad Elysios,
Illic usque manens alios non induit artus
Neve sacrum passus deseruisse nemus,
Marsilius donec divina e sorte daretur,
Indueret cuius membra pudica libens;
15 Hinc rigidas cithara quercus et carmine mulcet
Atque feris iterum mollia corda facit.

23. *Ad Puccium Antonii filium.*

Puccius unde tibi deductum nomen avitum,
Clarior unde domus Puccia nomen habet.
Flectendis fertur Lydorum doctus habenis
Egregia multos arte praeisse viros.

5 Ast, ubi fatali genuit te sorte creatum
Puccius, Antoni, spemque decusque tuis,
Accidit, ut, quantum vicit pater ipse priores,
Ingenio tantum viceris inde patrem.
At, tu si studeas imitari facta tuorum
10 Et patris ingenium, nate, referre tui
Atque huc Pierias adiungas protinus artes,
Ut facis et quicquid Calliopea monet,
Te, Pucci, nequeant ulli superare nepotes,
Virtutes possit vincere nemo tuas.

24. *Ad Franciscum Tranchedinum de garrulo quodam.*

Frigore nunc medio sentis fringire cicadam,
Vel nivibus gelidis dum riget omnis ager.
Horrendum monstrum, nam mox, ubi venerit aestas,
Qua solet insulsos multiplicare sonos,
5 Cuilibet insolitis tundentur vocibus aures;
Nos Nili undisoni sors inimica manet.
Sed modo fringitu tantos volet edere questus,
Ut crepet in ventos extenuata novos.

25. *Ad Galeazium Sfortiam.*

Mittimus hanc, princeps, vestem Phrygiumque galerum.
Et larvas votis dona petita tuis.
Parva quidem, sed quae quadrent iuvenilibus annis
Et tempestivis apta futura iocis,
5 Munera tu tenuis non asperneris amici,
Sed, quo sint animo tradita quaeque, vide.

26. *Ad Laurentium Guidectum.*

Si, quibus auspiciis coepisti, edocte, sequeris
Protinus Aonio pandere vela salo,
Qualem te video iam nunc, Guidecte, poetam:
Frondibus ornabit pulcher Apollo suis.
5 Tu tamen interea crinem preme, docte, fluentem
Floribus et nitidum pectine finge caput,
Ut tibi, cum doctas Phoebo monstrante sorores
Ponentur capiti laurea dona tuo,
Ne cui digna parum sacro videatur honore,
10 Splendeat unguentis aurea facta coma.

27. *Ad Peregrinum Allium.*

Aspice, ne nimium teneros, Peregrine, libellos
In lucem promas, edere dum properas;
Sic puer, ante diem custos quem linquit ineptus,
Contortis pedibus saepius ire solet.

28. *Ad Dominicum Gallettum versus scribere incipientem.*

I, puer, i, doctas iam nunc invise puellas,
I, pete Castalium fronde virente nemus.
Nec te poeniteat tenuem cecinisse Camenam
Aut tenuis quod nunc spiritus ore cadat.
5 Ille quidem vates, aequat qui nomen Homeri,
Ille prius graciles edidit ore sonos
Et, qui nunc magnis perfundit fontibus orbem,
Smyrnaeus, tenuis rivulus ante fuit.

29. *Ad Amerigum Corsinum eclogas scribere incipientem.*

Cum Siculi incipias describere carmine vatis,
Pastor ut in saltus ducat ineptus oves,
Niteris id, sacri quondam quod Musa Maronis,
Qui cecinit ludens aurea mala decem.
5 Ast, ubi iam silvas egressus dixit, ut agros
Laetos efficiant sub iuga panda boves,
Carmine grandisono surrexit in arma virumque,
Ut caneret Phrygio bella peracta duci,
Sic, ubi tu graciles fueris meditatus avenas,
10 Arva canas, post haec grandia facta virum.

30. *Ad Iacobum Anglariensem de fratre a patria migrante.*

Quo fugis hinc abiens fratrem, mitissime frater?
Quo te conspectu proripis ecce meo?
Heu, moveat pietas tanti te, frater, amoris,
Heu, moveant lachrimae, frater amate, piae.
5 Tristibus unus ades laetisque suprema voluptas
Dimidiumque animae tu geris usque meae.
Nec tantum fratrem dilexit Castora Pollux
Alterna redimens morte salutis iter,
Quantum ego te primis nimirum semper ab annis
10 Fraterna colui, frater amate, fide.
Quod, si nulla movet tanti te cura doloris
Et sedet, heu, caram linquere velle domum,
Debet amor patriae, debet Florentia felix
Antiquos intra te retinere Lares,
15 Quae reliquis quantum praestat pulcherrima rerum,
Te licet hanc tanto linquere velle minus.
Ipse Laertiades, quo nec prudentior alter,
Musa velut numeris cantat, Homere, tuis,
Dulichiam nidum volucrum lapidosaque rura
20 Maluit et Circes praeposuisse bonis.
At video, nihil, heu, lachrimae, nil verba precantis.
Te flectunt tanti, nec documenta, ducis.
In lachrimis igitur vivam, quodcunque sequetur,
Nec veniet sine te laetior ulla dies.

31. *Ad Dominicum Boccum iureconsultum.*

Iuppiter omnipotens, si vis tibi debita reddi,
Iura quidem sacris illa petenda viris,
Te precor, ut, qui nunc graviores pectore curas
Suscipit atque aegro turbidus est animo,
Ad sanum redeat, facito, sua gatta supersit,
Nam timet, infernos ne natet umbra lacus
Aut aliquis teneros ne nunc praedator in ipsos
Improbus iniiciat vincula dura pedes.
Haec, quia, si Bocco reddatur gatta petenti,
Delitiae domini quae fuit una sui,
Protinus ingenium primum, mens prima redibit,
Iuris et interpres fiet, ut ante, bonus.

32. *Distichon de temporis velocitate.*

Tempus abit celeri velocius usque sagitta,
Otia nil agitans dum pretiosa teris.

33. *Carmen in desidiam.*

Non amat aut molles plumas aut otia virtus.

34. *Distichon in Antonium antistitem Florentinum.*

Quae pia pro caro suscepit mater alumno,
Solvo tibi antistes debita vota reus.

35. *Ad Gentilem Urbinatem pro Renato Pactio.*

Si Venerem Musae potuerunt vincere nostram,
Si cecidit manibus Cypria victa sacris,
Te duce victricum potero gaudere triumphis,
Dum, quae Pieridum sint, nova gesta canes.

36. *Ad Alexandrum Braccium.*

Quid mihi nunc prosunt laqueata auratagque tecta
Quidve iuvant longis atria porticibus?
Quid domus anterior saxo sic structa decoro,
Sistat ut admirans quisque viator iter?
Aut quid, Alexander, iuvat hic me coccina vestis
Aut quid in Attalico ponere membra toro
Aut ortus, Bracci, talis, stirps regia qualem
Alcinous tenuit, docte, iuvare queat?
Quid mensae variis epulis dapibusque refertae
Nostra queant gemitu corda levare gravi,
Cum modo te caream tanto mihi semper amico,
Quantus Scipiadae Laelius ante fuit?

37. *An Marsilium Ficinum de Orpheo in eius cithara picto.*

Orpheus hic ego sum, movi qui carmine silvas,
Qui rabidis feci mollia corda feris.
Hebri quamvis unda fluat velocior Euro,
Victa tamen cantu substitit illa meo.

38. *Contra avaros.*

Cur sit avaritiae cuiquam tam dira cupido,
Ut, quo plura tenet, plus velit ille, canam.
Aeternus regeret cum latum Iuppiter orbem,
Legibus instituit cuncta subisse bonis,
5 Nullus ut in terris esset vir forte repertus,
Qui socii raperet iugera culta soli.
Si quis iussa tamen temnat, mandavit, ut illum
Usque premat Furiis dira Megaera suis.
Inde videt homines Tityano vulture semper
10 Vexari, miseros dum premit atra sitis.
Hinc oculis trucibus cilisque in fronte iugatis
Ora gerunt liquido pallidiora croco.
Si tamen his nullae fuerint in corpore mendae
Et nitidas dederit laeta iuventa genas,
15 His reliquum quodcunque latet sub pectore diro,
Id putidum semper, semper id est putidum.
Virgineos habet ut vultus Harpyia nitenti
Pectore et ut plumis se tegit illa malis,
Sic puer hic licet ore bonus, sed mente rapaci
20 Pulchrior in faciem, turpior intus erit.
Tristius hoc genus est nullum nec saevior ulla
Pestis ab infernis altera surgit aquis.
Ut mensas Phinei quondam Phrygiique parentis
Foedavit tactu dira Celaeno gravi,
25 Sic ii seu faciunt quicquam seu forte loquuntur,
Tactibus inficiunt proxima quaeque suis.
Diris unca manus pueris vitiosaque lingua,
Quae nimis a vero progrediatur, inest
Membraque sunt illis nigro suffusa veneno,
30 Quae possunt subita morte necare viros.
Hanc igitur, superi, nobis avertite pestem,
Perdite tam diram, vos rogo, progeniem.

39. *Ad Nicodemum Tranchedinum de suis et Francisci Sfortiae et Cosmi Medicis patris patriae laudibus.*

Huc ades, huc ad nos, Tritonia, respice, Pallas,
Huc ades, e summi vertice nata Iovis.
Huc, precor, huc duplici venias ornata decore,
Huc habitum duplicem, diva benigna, geras,

5 Quem fers, cum bellis inter libet esse gerendis,
Quem fers, cum doctos instruis arte viros.
Illius en pedibus quoniam modo dicere claudis
Aggredior gravibus facta canenda modis,
Qui, tu seu galeamque geras hastamque trementem
10 Ingenuisque iuvat seu dare te studiis,
Semper te coluit, semper tibi deditus uni
Artibus incubuit, casta Minerva, tuis,
Sed tamen, ut decuit, prius es, Nicodeme, secutus
Otia nimirum pacis amica bonae.
15 Nam, dum nec gravibus bellis erat utilis aetas,
Dum puer invalidus membra tenella geris,
Te capiunt Musae, quarum correptus amore
Et noctes illis invigilasque dies.
Sic puer es nimium, donec non aptus et armis
20 Discendi cupidus otia pacis amas.
Ast, ubi crescenti venit tibi firmior aetas,
Qua nova militiae pondera ferre queas,
Vel monitu matris primis es missus ab annis
Tu puer ipse licet, missus in arma tamen.
25 At quibus auguriis, veluti nam mater honores
Vidisset, quales hinc aditurus eras,
Admonet antiquas subito te linquere sedes,
Admonet eventus vaticinata novos.
Non secus, ac natum divino carmine mater
30 Compulit Euandrum regna Latina sequi,
Dum fore dicebat, patrios si linqueret agros
Filius, Arcadicos desereretque Lares,
Ut bona prosperitas Latiis superesset in oris
Utque ibi praesentes posset habere deos.
35 Hinc igitur tremulum pontem patriosque penates
Deseris inceptis matre favente tuis,
Qua penitus monstrante viam data fata secutum
Te capit anguigeri regia celsa ducis.
Ast, ubi praestanti Gallus te mente Philippus
40 Ad summos norat posse venire gradus,
Segnem non patitur puerum te ducere vitam
Nec torpere gravi membra tenella situ,
Ad doctos nam te subito iubet ire magistros,
Fiat ut ingenium cultius inde tibi.
45 Iam sol bis senis lustrarat mensibus orbem
Sextaque iam nitidis luna redibat equis,
Cum te Pieria doctum perspexit ab arte
Dux tuus et vires sensit adesse novas,
Nam, tempus venisse ratus cum forte putaret,
50 Fortia quo peteres Palladis arma trucis,
Te vocat haec dicens: Cupio, maiora sequaris,
Summa tuus, cupio, sidera tangat apex.

Est mihi nanque gener, cui nec parere recuses;
Quae tanto fuerint, accipe, gesta viro.
55 Tempore nam ex illo, quo Martia castra secutus
Auspiciisque suis bella gerenda subit,
Rettulit invictus semper Franciscus honores
Sfortia et adversi contudit arma ducis.
Huic ego te parere velim, dum membra relinquet
60 Spiritus et vacuas, umbra, ferere domos.
Sic ait. At monitis placidas tu porrigis aures,
Sfortiadae magno nec comes ire negas,
Cui tu non aliter servisti tempus in omne
Principis asservans iussa verenda tui,
65 Olim servierit Phrygio quam fidus Achates
Aeneae, sedes dum peteret Latias.
Sed, quanquam, soceri parent cui regna Philippi,
Plurima signa tuae sedulitatis habet,
Non tamen est ullum maius, si cuncta revolvas,
70 Aut magis ingenium quod probet inde tuum,
Quam tempus, quo forte graves succensus in iras
Intulit in generum bella nefanda socer.
Nam, cum Picenti, quem iam domuisset in armis,
Sfortiades magnus iura petita daret,
75 Hic socer indoluit, genero cum forte timeret,
Ne nimis ingentes accumulentur opes.
Quo non, Livor edax, penetras? Tu, dire, veneno
Inficis et fratrum corda replesque gravi.
Quin stimulis socer ipse tuis agitatus amaris
80 Invidit genero regna tenenda suo.
Nam, cum Sfortiadae spectaret castra Philippus
Undique Bebriacis esse referta viris,
Omnibus edixit, quos sub dicione teneret,
Posset et imperii cogere iure sui,
85 Audeat ut nullus patria discedere ab urbe,
Audeat aut generi castra subire sui
Atque, acie quicunque prius mansisset in illa,
Se properet celeri proripere inde fuga,
At, si quis dicto nolit parere iubentis,
90 Exilio poenas sentiat ille graves.
Quae vox ut timidas illorum venit ad aures,
Sfortiadae magnas qui sequerentur opes,
Dum sibi quisque timet, monitus nisi servet ad unguem,
Tam fortem bello deseruere ducem
95 Te praeter, Nicodeme, loco qui immotus eodem
Sfortiaden solita pergis amare fide,
Nam neque te diri potuerunt saeva Philippi
Proposito firmum vellere iussa tuo;
Non, licet exilium fuerit mortemque minatus,
100 Passus es egregium deseruisse ducem.

Quin etiam princeps, cum te minus ille periclo
Edoctum saevus cerneret esse tuo,
Dixerat agnatosque tuos caramve parentem,
Ni redeas, atrae se dare velle neci.
105 Tu tamen irati saevissima dicta Philippi
Tempsisti nullis territus inde minis,
Cum tu saevitiem malles sperare tyranni,
Quam tibi cana fides eviolanda foret.
Quam simul ac vidit princeps Attendolus in te
110 Virtutem clara luce nitere magis,
Detegit, arcano quodcunque in pectore claudit,
Et comitem mentis te iubet esse suae.
Sic, cum te lapides dicendi nosceret arte
Mollitos verbis posse movere tuis,
115 Quod tibi nascenti dederat Cyllenius, artes
Has, quibus in superos utitur ipse deos,
Imperat Ausonias a te lustrarier urbes,
Concilies populos ut, Nicodeme, sibi.
Ast, ubi fecisti, tibi quae mandata dedisset
120 Et quaecunque iubens dixerat ille tibi,
Etrusca voluit tandem te ponere sedes,
Qua viget imperiis Lydus, in urbe, leo.
Sfortiades alibi nullos quia noverat acer
Esse viros, cuperent qui meliora tibi sibi,
125 Praecipue Cosmum, qui, quantum Phoebus Apollo
Exuperat radiis signa minora suis,
Etruscos tantum vicit pietate Quirites,
Unde novus patriae dicitur esse pater
Et merito, quoniam, veluti pater omnibus esset,
130 Gestabat patriae pondera cuncta suae.
Nam, cum non aliter, quam quondam Iuppiter Ammon
Vaticinans populis vota petita daret,
Hunc petis assidue, veluti qui principis esses
Noscendi cupidus fata benigna tui,
135 Donec ea Cosmus Medices in sede locatus,
Qua solitus populis reddere iura suis,
Pro domino, Nicodeme, tibi responsa petenti
Reddidit ex adytis talia dicta pater:
Eveniet, videor iam nunc mihi cernere tempus,
140 Eveniet vobis protinus illa dies,
Qua, nunc innumeras qui ductitat aere cohortes,
Egregia fortes qui regit arte viros,
Sfortiades summa pariet virtute triumphum
Iis similem, Latii quos peperere duces.
145 Nam, quae Bebriaco parent modo regna Philippo,
Victori venient emoderanda novo.
Atque ibi, quam sapiat, demum spectare licebit,
Sfortia quamque bonae tempora pacis amet,

Cum quibus est teneris semper versatus ab annis,
150 In Martis pugnas desinet ire graves.
Perspicient omnes illum, non dira libenter
Bella nec ut per se suscipienda forent.
Sed, quia, quod propter tristissima bella geruntur,
Cum sibi, tum reliquis otia longa daret,
155 Hoc duce sic Iani templum claudetur et intus
Mars fremet atque iterum vincla molesta geret.
Tunc et prisca Fides ad nos pariterque redibit,
Quae lances iusta temperat arte pares,
Hinc Pax purpurea frontem redimita corona
160 Grata per Ausonias ibit amica domos.
Turba nec in Latiis ulli tunc fiet in agris,
Opilio tutas quisque tenebit oves.
Securi terram poterunt versare coloni,
Fructus et a culta suscipietur humo.
165 Urbibus Etruscis peragent tunc otia cives,
Hostibus a saevis nec metus ullus erit;
Otia, quae nostri nolint turbare nepotes,
Otia, quae maneant, dum feret astra polus.
Haec ubi divino Medices dedit ore locutus,
170 Sfortiadae properas cuncta referre tuo.
Qui, simul accepit, quam se bona fata sequantur
Eventus Cosmo vaticinante bonos,
Acrior hinc rebus sese parat ille futuris,
Acrior ad summos nititur ille gradus,
175 Donec ad imperium rerum venit ille novarum
Marte tenens soceri regna subacta suo.
At princeps, retinere, tuus, cum vellet eodem
Consilio regnum, quo duce nactus erat,
Te iubet assidue scitari oracula Cosmi,
180 Te iubet et tanti pectora nosse viri,
Ut, quod ad imperium monet hic opus esse tenendum,
Absenti domino rite referre queas.
Ex quo non secus heroas novus inter utrosque
Iungendae mentis tu mediator eras,
185 Quam sit Mercurius caelo demissus ab alto,
Cum superis properat iussa referre Iovis.
Hac te vel causa potes appellare beatum,
Hac te felicem dicere sorte potes.
Fecerit ingenii cum te fortuna duorum
190 Participem Cosmi Sfortiadaeque patrum,
Quorum nulla quidem reticebunt saecula laudes,
Deleat aut quorum nomina nulla dies.
Quos modo cum miseris tulerit mors improba nobis
Ausaque sit tantum Parca maligna nefas,
195 Inter et illorum natos mediator amicus
Sis, decet ut vitae tempora cuncta tuae.

Nam, virtute nova cum par modo natus uterque
Parque sit ingenio natus uterque patri,
Sfortiadum semperque colas Medicumque penates
200 Et medius venias inter utrumque genus,
Ut tua prosperitas coeptum, Nicodeme, tenorem
Servet ad extremos continuata rogos.

40. *Ad Iohannem Calabriae regis filium.*

Si, Calaber, Tuscos, princeps, dum forte penates
Ingrederis Latiis gloria magna viris,
Si tibi, si regi non haec mea Musa beato
Occurrit celeri quantulacunque pede,
5 Da veniam, timuit docti quia principis aures
Illa velut Clario missa legenda deo.
Praeterea regesque tuos nomenque tuorum
Tam levibus verita est illa referre modis.
Nam, si sum Medicas ausus pertingere moles,
10 Rebus et in tantis me implicuisse iuvat,
Nil prius ingenio, nil sum meditatus et arte,
Quam sinerent tantae pignora magna domus,
Quam sineret Cosmusque pater Petrusque parenti
Persimilis, patriae lumen uterque suae.
15 Tu quoque si dederis veniam, dux maxime rerum,
Implens felici carbasa lenta Noto,
Si mihi, dum cupio per laudes ire tuorum,
Vatibus annueris, spesque salusque, bonis,
Ingrediar titulosque tuos nomenque tuorum,
20 Sint licet haec gravibus facta canenda sonis.
Dicam urbes Calabrum victas patriosque triumphos
Et Lusitanis regna subacta viris,
Alphonsique, canam, quam sit grave nomen avitum,
Regibus utque viget fama decusque suis.
25 Haec ego dum referam, non me superaverit Orpheus,
Carmine cuncta licet moverit ille suo,
Praesertim, tua si tribuat fiducia vires,
Si dederis dubiae vela secunda rati.

41. *Ad Marsilium Ficinum de vita Platonis.*

Huc ades, huc cithara, vates, et carmine nobis,
Huc, precor, huc tantus, pulcher Apollo, veni,
Quantus Aristoni fueras qualisque videndus,
Dum cupit uxori concubuisse suae.
5 Nanque, Cupidineum cum iam certamen iniret
Votaque iam cupide vellet adire sua,
Ipse iubens, utero matris dum prodeat infans,
Usque pudicitiam servet ut illa, mones.
Ne, quod et intus habet mater, temeretur ab ullo
10 Concubitu sacrum, neve quod intus alit,

Scilicet uxoris, Plato quia maximus intra
Viscera divinae conditor artis erat.
Ast, ubi iam venit pariendi tempus et hora,
Mater ut in lucem pignora tanta daret,
15 Ah, quibus auspiciis humanae limina vitae
Nascenti primum visa fuere sibi,
Dulce locuturus quoniam magis omnibus esset
Ore vel infantis — mellificastis, apes —
Cresceret ingenium. Sed mox, ubi creverat aetas
20 Et teneros annos egrederetur, ait:
Non ego, dum vivam, venandi ductus amore
Vilibus officiis otia pulchra teram,
Sed contemplandis impendam tempora rebus,
Sed, mores, discam, quis docet esse probos.
25 Socratis hinc monitusque graves atque aurea solers
Dicta petam studiis nocte dieque meis.
Hic teneram monitis poterit mihi fingere mentem,
Hic dabit atque animo pabula certa meo.
Sic ait. At quibus auguriis puer optimus ille
30 Sustulit ingenii signa probanda sui?
Signa quot, ut fieret longum memorandus in aevum,
Urbibus in patriis apparuisse ferunt?
Mira canam, sed visa tamen, velut ipsa vetustas
Affirmans prisca tradit in historia.
35 Nocte quidem, lucem quae iam praecesserat illam,
Qua se Socratiam contulit ille domum,
Candidus est visus procero gutture cygnus
Lactea Socratico ponere colla sinu,
Qui nitidas late pennis crescentibus alas
40 Pandat olorinos voce canente modos.
Socratis haec fuerant in somnis visa, sed illa
Exitus inde bonus vera fuisse probat.
Plura domi, quoniam, cum iam didicisset ab illo,
Qui Phoebo sapiens iudice dictus erat,
45 Nosse quidem cupidus, quicquid docuere priores,
Quicquid et in fastis scripta vetusta notant,
Nimirum Graias primum lustraverat urbes,
Disceret ut, quicquid Graecia docta monet.
Nec veritus post haec Italos attingere fines,
50 Nosceret ut Samii dicta probanda senis.
Ast, ubi Pythagorae monitis accepit, ut omnes
Ingredimur varia corpora multa vice,
Nec mora, felices cupide penetravit ad oras,
Quas pater ipse suis Nilus inundat aquis.
55 Namque fuit tanto discendi abreptus amore,
Ingenii summas dum cumularet opes,
Ut grave nec tulerit duro servire tyranno
Nec grave pauperiem duxerit esse malum.

His igitur gradibus quicquid natura deorum
60 De sese priscis rettulit ante viris,
Id quanquam, Plato, corpus deducis in unum,
Sunt tamen huic scriptis addita plura tuis.
Tu lux mortales tenebris ratione fugatis
Non sinis in caecos amplius ire dolos.
65 Vera mones, vero nimirum nomine falsos
Tu potis humano pellere corde metus.
Moribus et sanctis quis te praestantior alter,
Testibus est summis si qua adhibenda fides?
Adde pudicitiam, primis qua semper ab annis
70 Duxisti vitae tempora longa tuae.
Unum nanque tibi post octogesima venit
Solstitium, fatis meta futura tuis,
Cum tu concelebrans epulas Agathonis amicas
Liquisti nigris frigida membra rogis.
75 Terminus iste tibi vitae fuit ultimus actae,
Ultima lux studiis extitit illa tuis.
Hinc tibi divini merito referuntur honores,
Hinc tibi sunt sanctis sacra peracta focis.
Inde sacerdotes Persae venere frequentes,
80 Manibus ut castis munera casta darent.
Te vel Aristoteles superum dignatus honore
Dicitur et votis saepe vocasse suis.
Hinc tibi rex Ponti Mithridates maximus aram
Erigit, ut summo, templa dicatque, Iovi.
85 Hinc quoque Ficinus, Plato, tibi sacra quotannis
Instituet numeris concelebranda novis.

42. *Ad Borsium Estensem.*

Si quis opem vates a te sibi iure petivit,
Si quis, ut auxilium, Calliopea, dares,
Iure quidem petimus, coeptis, dea, grandibus assis.
Res est, Musa, satis d gna favore tuo.
5 Non ego ficta canam in superos fera bella Gigantum
Utque gravem summus Pelion Ossa tulit,
Sed referam veros verae virtutis honores
Utque sit in vera nobilitate decus,
Teque canam, Borsi. Nulli virtute secundus
10 Sis, velut Estensis gloria summa domus,
Claret ut in Latio nec te prudentior alter
Nec mage qui populos temperet arte suos.
Hoc civesque tui, qui non timuere tyrannum,
Sed, velut es, patrem te coluere, probant,
15 Hoc simul et fratres, quorum tibi maxima cura,
In te quos pietas rursus amorque tenet.
At, licet in cunctis, a te quae gesta feruntur,
Summa quidem virtus luxerit ante tua,

Tu tamen egregios nuper documenta dedisti,
20 Vincis ut ingenio, vincis ut arte viros.
Nanque fores Romam cum perventurus ad urbem,
Ut concepta tibi solvere vota queas,
Ipse timens hominum casus variosque reflexus
Fortunae et varias tempus in omne vices,
25 Accersis caros fratres, quibus intima regni
Legibus assignes, dux memorande, tuis.
Munera quid referam, multis quam multa dedisti
De te, quot populus quantaque dona tulit?
Nam neque tu tantum, deceat quid quemque, requiris
30 Aut, sit quod meritum cuique, benigne, vides,
Quam tibi conveniat quid tandem, respicis, uni,
Cui satis imperii fors cumulata dedit.
Hinc non parva quidem multis tum munera donas,
Sed summum deceant quae dare summa ducem.
35 Praedia quin etiam meritis bis sena dedisti,
Iugera quot versu non memorare queam.
Diceris intextas auri sub tegmine vestes
Inde quidem multas exhibuisse tuis.
Haec ubi sunt paucis a te confecta diebus,
40 Haec ubi consiliis sunt agitata bonis,
Protinus accersis fratres proceresque supremos,
Possit ut ad monitus quisque venire tuos.
Sic, ubi te veluti carum petiere parentem,
Talibus eloqueris talia verba modis:
45 Quantus amor meus est in vos, quam maxima cura,
Non ego, si cupiam, commemorare queam.
Me desiderium vestri quam grande sequatur,
Prae lachirmis nequeat lingua referre piis.
Ibo tamen, quia causa gravis nos urget euntes.
50 Nos monet atque urbem, Romule, adire tuam.
At vos, dum redeo, tutantes protinus urbem
Hanc nihil horrendum pertimuisse decet.
Sic pietas, sic vestra fides spectata requirit,
Ut satis haec per vos moenia tuta putem.
55 Haec ego militibus non defendenda relinquam
Nec mihi custodes, qui tueantur, erunt.
In manibus regnum vestris urbemque repono,
Quiquid et imperium possidet inde meum.
Vos pro militibus, fratres civesque, relinquo
60 Proque satellitibus pignora vestra meis;
Pro fidis vestram summae custodibus arcis,
Quae spectata diu est, linquimus ecce fidem.
Sic ais. At, mundum quoniam ratione moveri
Atque deum precibus flectier inde putas,
65 Funderet in superos, mandasti, ut quisque sacerdos,
Dum redeas, castas nocte dieque preces.

O decus egregium, quis relligione deorum
Alter in Hesperio te viget orbe prior?
Plura quis in superos erexit templa? quis aedes
70 Extulit in superos relligione sacras?
Quis fuit in precibus fundendis castior alter?
Quis melior sanctis ponere sacra focis?
Nanque dies aderat fatis datus, optime rerum,
Quo procul urbe tua Roma petenda foret.
75 Is simul illuxit, simul ac lustravit et orbem
Exoriens radiis pulcher Apollo suis,
Templa petis magna procerum comitante caterva,
Dentur ut in superum thura pudica Iovem.
Inde cani hos mandas hymnos, ea sacra piari,
80 Quae superum celebrat spiritus ille sacer,
Ut, qui nascendis dederat primordia rebus,
Is tibi discessus causa suprema foret.
Ast, ubi iam finis sacris datus inde solutis
Et data divinis ultima meta focis,
85 Egrederis templum populo comitatus ad urbis
Portas, ut coeptum prosequereris iter.
Hic tu quas lachrimas pietatis fundere cives
Aut quibus audisti condoluisse modis,
Cum graviter ferrent patria te cedere ab urbe,
90 Ad mensem quamvis huc rediturus eras?
Et merito, quis enim te sit clementior alter
Aut mage qui populos diligat inde suos?
Iure igitur cives quam maxima signa dedere,
In te quae pietas, qui suus esset amor.
95 Nam, comes ad portas cum sic tibi quisque veniret,
Ut reliquus fieret nullus in urbe tua,
Quantum acie poterant oculi servare sequentum,
Spectat quisque suum tristis abire ducem.
Hic mea, quot comites statuisti ducere tecum,
100 Non, ego si cupiam, lingua referre queat,
Hos tamen, elegit tua quos sapientia primos,
Quos voluit reliquis praeposuisse, canam.
Illos obmittam, quos est mora longa referre
Nec quos ingenii nobilitavit opus.
105 Sex medicos igitur referam, quibus auctor Apollo,
Sit tutela quibus corporis usque tui.
Sex totidem, solvant qui sacra aenigmata iuris,
Cum venient dubiis discutienda reis.
Cognita praeterea quibus est natura deorum,
110 Est quibus in superas mens agitata domos,
Sex divinarum rerum documenta daturi
Sectari summum te voluere ducem.
Adde huc, e media quos nobilitate vocasti,
Ingenioque patres consilioque bonos

115 Terque decem proceres, quos consulis, optime, quando
Eveniunt rebus tempora dura tuis.
Praeterea, ne quid decoris tibi rursus abesset,
Ne quid, quod mentes suscitet arte bonas,
Duxisti vates tecum doctosque poetas,
120 Carminibus celebrent qui tua facta novis.
His tu vel sociis Romana ad moenia tendens,
Ah, quibus auspiciis, dux memorande, venis?
Hic mihi si faveat penitus, qui carmine sacro
Quique novem cithara mulcet, Apollo, deas,
125 Non tamen ipse queam pompas memorare supremas,
Te quibus est summum Roma secuta ducem.
O quot laetitiae gestus dedit illa benignos,
Inde quot in tacita gaudia mente tulit.
Te ducibus similem priscis quia visa videre est,
130 Dum sua vectarent parta tropaea domum,
Hinc te non alio nimirum affecit honore
Muros intrantem Romuleosque Lares,
Quam cum Romanam Caesar veniebat in urbem,
Ut Capitolinum viseret ille Iovem.
135 Nam, si longinquos Latio procul orbe Britannos
Armis non subigis militibusque tuis,
Si Rhenum Gallosque tibi populosque feroces
Viribus haud addis tu, velut ille sibi,
Caesaris es similis tamen una in parte benigni,
140 Mitis es ingenio, Caesar ut ante fuit.
Nam neque tu parcis tantum, mitissime princeps,
Qui grave laeserunt teque tuamque domum,
Sed veteris si quis veniat delator amici
Aut odio motus, motus et invidia,
145 Illi continuo placidas non arrigis aures,
Sit quia non verbis huius habenda fides.
Esse canat quamvis odium crudele, quod in te
Is gerat assidue, quem facit ille reum,
Tu tamen hunc monitis urgens gravioribus ipsum,
150 Ne ferat in quenquam crimina falsa, doces.
Nec potes adduci, quos tu nec laeseris usquam,
Hos tibi fallaces tendere velle dolos.
Atque ita praeveniens animos cuiu que malignos
Effugis insidias tempus in omne graves,
155 Cum neque sit quisquam, penitus cum viderit omni
Suspicione gravem te caruisse virum,
Qui scelus intra se velit admisisse nefandum,
Tendere quive dolos audeat inde tibi.
Postulat hoc probitas, petit hoc sapientia certe,
160 Ut quoque, qui malus est, te coluisse velit,
Quin illi potius venias in honore futurus,
Laedere quam verbis te velit ille suis.

Cum sis praesertim dandis ita promptus in omnes
Muneribus, cum sit tam tibi larga manus,
165 Ut modo non proceres, quos nostri temporis aetas
Protulit aut Latium quos tenet orbe suo,
Sed priscos aeques divino numine reges,
Sed Graios aeques hac quoque parte duces.
Ut possis unum, cui non suffecerat orbis
170 Quique urbes Asiae ceperat arte nova,
Ducere Pelliacum bonus in certamen honoris,
Muneribus dandis ne videare minor.
Nam, si dona dedit populis ingentia victor,
Si dedit imperio munera digna suo,
175 Militibus tamen ille suis dedit illa benignis
Aut sibi quos magnus conciliarat amor.
At tu non tantum, quibus es tutela, dedisti
Inque tuos populos non modo largus ades,
Sed bonus externis, bonus es tu rursus et illis,
180 Quos amor et nullus iunxerat ante tibi.
Testes sunt gentesque tuae proceresque beati,
Quos regis imperio, dux venerande, tuo,
Tu quibus et nuper tot munera summa dedisti,
Quot nequeam verbis enumerare meis,
185 Ut modo, si cupiam numeris ea dicere nostris,
Tempus deficiat deficiatque dies.
Reges praeterea testes magnique tyranni,
Gallia quosve colit, quos colit Hesperia.
Sunt tibi, sunt testes, paret quibus ultima Thule,
190 Quos tenet extremis subdita terra plagis.
Quis tam longinquis terrarum in partibus ullis,
Quis rex a nostro tam procul orbe manet,
Cui non ob rerum late monumenta tuarum
Ingenii bonitas nota sit ista tui ?
195 Ex quo tot laudes, Borsi, videaris adeptus,
Quot Macedum princeps maximus ante tulit,
Quas, rogo te, velut ipse facis, dux optime, summis
Inque dies meritis accumulare velis,
Ut, te divinis cum tollent laudibus omnes
200 Teque bonum referent munificumque ducem,
Sentiat et te posteritas, ubi liqueris orbem,
Cum veniet fatis ultima meta tuis,
Clarius in terris nihil ante fuisse nec ullum,
Qui magis egregios exuperarit avos.

43. *Ad Herculem Estensem.*

Musa, ubi tu dederis solitas in carmina vires
Et mihi Pieriam mentem spiraris, ut ante,
Borsius Estensis cum se bonus obtulit ultro
Carminibus nostris divino ex ore canendus,

5 Musa, velim, Tuscas dubites haud linquere sedes,
Herculis auratos subeas ut, diva, penates.
Post, ubi regalem venies in principis aulam,
Haec illi nostro referes mea nomine dicta
Urbibus idcirco pia fata dedisse Liburnis,
10 Rebus ut Herculeus princeps potiretur avitis,
Ut desiderii ferat hic solatia magni
Omnibus ecce suis, moriens quod triste reliquit
Borsius Estensis lachrimabile tempus in omnes,
Ni foret Herculeum robur, nisi maxima virtus.
15 Quae facit, ut penitus lachrimae ponantur acerbae,
Omnibus et laetae veniant in gaudia mentes.
Haec ubi dicta viro dederis, qui nomina prisci
Herculis usque refert latum, mea Musa, per orbem,
I, pete magnanimosque duces populosque potentes
20 Et quoscunque sua qui sub dicione tenebunt,
Urbes et populos latos gentesque virosque,
Quos, ubi convenies, moneas, neu temnere iura
Ipsa quidem statuant cupientes vivere rapto.
Si quos offendes non aequo iure tyrannos,
25 Qui vexent populos iniusto Marte propinquos,
Protinus abstineant, graviter monuisse licebit.
Ni faciant, quodcunque voles, quodcunque iubebis,
Et nisi desierint agitare tyrannide saeva
Innocuos, illis vel adhuc superesse referto
30 Herculeas vires, quondam quibus ille solebat
Iniustos latum reges domitare per orbem.
Nam superest alter, paribus qui temperat urbes
Legibus Estenses et acuta protegit hasta,
Robur et Herculeum propriis virtutibus aequat,
35 Hic igitur, cum sorte nova fatisque benignis
Ceperit imperium magnum populosque regendos,
Viribus Herculeis statuit crudelia monstra
Tollere et iniustos condigna morte tyrannos.
Hinc iterum Diomedis equos domitabit agrestes
40 Is novus humanis vescentes carnibus heros,
Temporibus nostris fuerit si forte repertus,
Qui sua tam tristi perfundat corda veneno,
Ut velit aut homines diris opponere monstris
Impius aut saevis velit obiectare periclis.
45 Si modo Maenalias aper invasisset in oras
Cunctaque fulminibus vastaret rursus, ut ante.
Hunc tamen ille suo superet modo robore princeps,
Herculis Estenses ritu qui temperat urbes.
Inde fuga aeripedem cervam superabit et idem,
50 Veloces olim cursu quae vicerat Euros.
Ut fueras quondam validis, Acheloe, lacertis
Herculis utque manu tandem superatus et arte

Privavit cornu cum te fortissimus heros,
Sic modo convinctus clava, convictus et armis
55 Hesculis Estensi venies nova gloria palmae.
Quin etiam superanda palus Lernaea labori
Se dabit Herculeo, tenuit quam corpore vasto
Septem dira novis immanis hiatibus hydra,
Cui licet et capiti tot nunc, velut ante, redirent
60 Ora, quot a monstro penitus convulsa fuissent,
Non tamen is molem dubitet superare nefandam,
Unus praesertim de tot cervicibus anguis
Si velit Herculeas se contra attollere vires.
Crudeles licet extiterint Busiridis arae,
65 Ille peregrinos quibus infestabat ut hostes,
Impia dum patriis imponitur hostia sacris,
Non tamen hunc tegerent crudelia facta tyrannum,
Quo minus Herculeis ita nunc, velut ante fuisset,
Viribus Estensi fieret nova praeda triumpho.
70 Certamen summum priscorum viderat aetas
Herculis Antaeum procul a tellure tenentis,
Ipse viam donec vasto sibi fecit ab ore
Spiritus atque leves in ventos vita recessit.
Si quis, ut Antaeus fuerat, venit ergo superbus,
75 Qui vocet heroas ferus in certamina fortes,
Hic expectet idem, quod tandem contigit ipsi,
Qui dulcem presso vomuit de pectore vitam.
Quin leo Nemaeus si se ferat obvius alter
Herculis ecce novi summis modo viribus aut si
80 Irruat Estensem contra Theumesia moles,
Attamen hic victor iugulos aperiret et acer
Amborum gemina frueretur pelle leonum.
Quid tandem Geryona feram tria corpora habentem,
Quid Cacum memorem dirum celebremque latronem,
85 In quos libravit clavam deus ille trinodem
Saepius effractoque illisit in ossa cerebro?
Quid tristem Nessi dicam, mea Musa, ruinam,
Herculis uxorem magno quia victus amore
Ceperit et poenas dederit male sanus acerbas?,
90 Estensem credam pariter cum rursus iniquos
Centauros domitare manu quoque posse feroci,
Hos ut adulterium pigeat patrasse nefandum.
Es quoque tu magni subiturus Tartara Ditis,
Qui regis Estenses, rursusque in vincla daturus
95 Custodem magnum, quamvis tria Cerberus ora
Porrigat ad nigram venienti ianitor aulam.
Inde petes superas divino numine sedes,
Ut, quae gessisti terris agitatus in imis,
Caelicolis eadem facias quoque nota supremis.
100 Nam roget hic aliquis si, quae mihi causa videtur,

Cur fuit Herculeo capiti subeundus et axis,
Hanc ego crediderim, quia, quae Tirynthius heros
Gesserat in terris, ea maxima facta per orbem
Mortales superique simul condigna putarint,
105 Auctor ut illorum fama penetraret Olympum.
Ergo, si potuit saevissima vincere monstra
Atque feros superare duces Tirynthius heros,
An dubitet quisquam, sit adhuc cum fortibus armis
In terris alter, referat qui nomina prisci
110 Herculis, ut possit pariter nova vincere monstra
Atque novos virtute nova domitare tyrannos?
Quare, agite, o reges, monitus neu temnite sacros,
Nanque novem, quarum vos nunc petit una, puellis
Numen inest, igitur ne non praedicta putetis,
115 Haec animis penitus vestris sua figite dicta.

44. *Ad Titum Strozam poetam insignem.*

Tite, Fluentinae magnum decus urbis, avitum
Qui trahis a Stroza nobilitate genus,
Quem, nova quod placidae dederint tibi carmina Musae,
Frondibus ornavit pulcher Apollo suis.
5 Quod fuit Augustum, vates, apud, optime, regem
Pollio, Maecenas vatibus ante bonis,
Id, precor, Estensis mihi sit prope principis aurem,
Sic, quaecunque cupis, fors det amica tibi.

45. *Ad Laurentium Strozam.*

Musa, tui Strozae solitas Pallantis in aedes
I, precor, antiquas ingrediare domos.
I memor hospitii veteris modo, diva, fidenter,
Es quia tu notos nunc aditura Lares.
5 Illuc accipet placido Laurentius ore
Te veteri tecum iunctus amicitía,
Cui dabis amplexus ubi tu, dea, nomine nostro,
Oscula cum sumes, oscula cumque dabis,
Quae Phoebo pater edixit, tibi Phoebus Apollo
10 Rettulit, haec sanctis vaticinare modis.
Dic, si te statualque sequi doctasque sorores
Si veiit aut totum se dare, Musa, tibi,
Protinus in fatis volventibus affore tempus,
Quo mala nunc versa fors vice mitis erit,
15 Quo, velut ex undis reducem fortuna malignis,
In placidos Strozam ducet amica sinus.

46. *Epitaphium in Carolum Martiopinum vatem nobilissimum.*

Ingemuit graviter quondam Parnasia laurus,
Maeonium rapuit cum fera Parca senem.

Rursus morte tua, vates sanctissime, tantum
Luxit, ut ex illo cura secunda fores.
Et merito, quoniam Latio tibi ludere plectro,
Karole, quod potuit, Calliopea dedit.

47. *Epitaphium in Philippum Antellam antistitem Florentinum.*

Hic tuus antistes fuerat, Florentia, quondam
Romanae mirus relligionis honos.
Sed, dum iura pius sanctissima dicit in omnes
Et vetat in populo crimen inesse suo,
Antellae non clara domus, non sancta Philippum
Vita potest nigris eripuisse rogis.

48. *Epitaphium in Antonium Lucensem medicum insignem.*

Auctor opis medicae, medicam cui Cynthius artem,
Cui dedit, ut geminos nosceret arte polos,
Antoni, ratio terrae cui nota fuisset,
Qui nosses numeros, hoc situs es tumulo.

49. *Epitaphium in Antonium Baroncium.*

Cirrhaeis olim semper versatus in oris
Diceris Aonias excoluisse deas.
At, dum prima novis modularis carmina nervis,
Antoni, iuvenem te rapit atra dies.

50. *Epitaphium Poggii viri eruditissimi.*

Quem spectas Pario caelatum marmore, vivet
Poggius, aequoreas dum bibet amnis aquas,
Addidit antiquis scribens quia multa Latinis,
Transtulit et Latiis scripta Pelasga viris.

51. *Epitaphium Iannoctii Pandolfini equitis splendidissimi.*

Pandolfinus eques iacet hic Iannoctius olim,
Cui fuerat patriae maxima cura suae.
Nam, sive extremas urbes legatus adiret
Seu cuperet prudens ille manere domi,
Semper et ingenio patriam bene iuvit et arte,
Civibus unde viget fama decusque suis.

52. *Eulogium in Antonium Andreae filium ad Alexandrum Braccium eius amicissimum.*

Si graviter doluit iuvenis Phoceus Orestem
Extinctum sancta iunctus amicitia,
Dira Philoctetes si funera luxit amici
Herculis, heu, casus dum subit inde graves,
Laelius, extiterat quo nec sapientior alter,
Scipio, si mortem flevit, amate, tuam,

Si fortis raptum doluit Patroclon Achilles,
Carius, heu, fuerat quo nihil ante sibi,
En, Bracci, maesto tristes nunc ore querelas
10 Fundito, nunc lachrimas, dulcis amice, novas.
Occidit abreptus teneris Antonius annis,
Qui tibi qui Pylades protinus alter erat.
Quid tamen haec pietas in te sua profuit illi
Aut quid amicitiae cuncta dedisse piae?
15 In te quid mentem castam servasse? quid olim
Tam firma semper te coluisse fide?
Hic terras omnis tecum, maria omnia tecum
Lustrasset cupide, tu modo praeciperes.
Tu quoque si manes cuperes hunc ducere ad imos,
20 Visat ut infernos regna tremenda lacus,
Omnibus ille quidem venisset in omnia tecum
Posthabitis, vel si mortis adisset iter.
Est tamen invidia raptus puer optimus, ullum
Exemplum veteris ne sit amicitiae.
25 Intentus fueras non tu crudelibus armis,
Non cupidus fueras bella nefanda sequi,
Otia sed placidae nimirum pacis amabas
Detestans Martem saevitiamque suam.
Nec tamen, haec cum sint, fulvo male carperis auro
30 Nec tibi divitias congeris innumeras,
Sed bene contentus patrio tenuique salino,
Quem decet, in rebus quaeris habere modum.
Nam neque venando statuisti ducere vitam
Vilibus officiis otia pulchra terens,
35 At bene Pieridum studiis addictus et arti
Noctibus addebas, dulcis amice, dies.
Heu, nihil est tutum morti; virtute supremos
Tollere de medio gaudet acerba viros.
Haec te corripuit, numeris qui, docte, canendis
40 Aonias poteras iam retinere deas.
Ah, quotiens Musae, quotiens tibi Phoebus Apollo
Tollebat plausus in tua verba novos?
Sed breve per spatium durarunt gaudia, dum sic
Cursibus in primis irrita vota cadunt.
45 Ergo dies aderat fatis datus ille supremus,
Quo puerum raperet Parca maligna pium.
Signaque iam mortis suberant manifesta futurae,
Omnibus illa quidem signa tremenda viris,
Filius affari moriens cum forte parentes
50 Confectos cura coepit utrosque gravi:
Quid me mortalem graviter lugetis, ut hinc vos,
Vos premat ut miseros cura dolenda magis?
Tristia non lachrimis hominum, non fata pudicis
Flectuntur precibus, cum ruit atra dies.

55 Nec vos nunc morbo macies contracta maligno
Terreat aut quod sim corpore nullus ego.
Est animus fortis, veluti decet, ipse nec ulli
Succumbens curae, sit licet ipsa gravis.
Flaccida non curae mihi sunt moribundaque membra,
60 Corporis est quicquid, displicet omne mihi.
Id satis est nobis, si mens animusque pudicus
Sidereos valeat nunc repetisse Lares,
Unde genus duxit, peteret cum forte caducos
Mortales, superas desereretque domos.
65 Haec visura Iovem summum pars maxima nostri
Evolet, at terram corpus inane petat.
Vos igitur, cari, mea maxima cura, parentes,
Tu tamen imprimis, dulcis amice, vale
Atque vale atque memor tumulo pia carmina nostro
70 Haec dato, quae nomen sint habitura meum:
Quo nec amicitiam coluit puer alter in urbe
Sanctius Etrusca, dum sibi vita fuit,
Hic iacet abreptus teneris Antonius annis,
Dum Lachesis plenas frangit acerba colos.

LIBER III.

1.

Quo nunc vos, elegi, vestri fiducia ducit
Quove ferunt claudi, turba iocosa, pedes?
An Medicae numeris tantum levioribus ausi
Dicere tentatis pignora summa domus?
5 Non teneri, ut quondam, vobis referuntur amores
Nec venit in vestros fabula ficta modos.
Disendus vobis nunc est Laurentius heros,
Qui lumen patriae, qui decus omne, suae,
Qui Lydos tanta iam nunc virtute Quirites,
10 Qui tanta Tuscos temperat arte patres,
Ut, nisi Pierides faveant, nisi Phoebus Apollo,
Laudes nemo suas enumerare queat.
Huc igitur, Medices, coeptis gravioribus assis,
Tu mihi Calliope, tu mihi Phoebus eris.
15 Quis sine te possit Medicam pertingere molem,
Quis sine te meritis digna referre tuis?
Nam bona seu pacis, Medices, teris otia solers
Sive cupis Musis invigilare piis,
Ingenium studiis adhibes ita, maxime rerum,
20 Sunt ita Pieridum carmina culta tibi,
Ut, quaecunque vetus Latium dedit, omnia noris,
Et quicquid Varro Vergiliusque monet,

Quicquid et in causis Cicero memorarit habendis,
Quicquid in historia lingua Latina refert.
25 Ast, in Apollineas cum se tulit impetus artes,
Protinus ad sanctos iussit inire modos.
Tunc alacer citharam sumens ea carmina cantas.
Ut Phoebi possint illa decere lyram.
Sic tu non tantum quercus ratione carentes
30 Et quaecunque ferens fabula prisca docet,
Sed possis homines cantu retinere supremos,
Sed possis doctis grata referre viris.
Haec tibi sunt, Medices, divinae pabula mentis,
Haec sunt ingenii munera prima tui.
35 Nam modo quid referam, quas accipis undique, laudes,
Egregia Tuscos dum regis arte Lares?
Cunctus erit populus testis sanctusque senatus,
Quam bene, Laurenti, publica cuncta geras,
Quam bene tu summa patriam virtute gubernes
40 Sive domi, Medices, quam bene sive foris.
Nanque Fluentinas sapiens ita flectis habenas,
Cum bona tranquillae tempora pacis cunt,
Ut civis quicunque tua manet urbe togatus
Et duce te patrias temperat arte domos,
45 Se vidisse neget, quae sint magis apta quieti
Tempora, quae paci sint magis apta bonae.
Sic Tuscus quaecunque grit populusque paterque,
Legibus aut quicquid sancit uterque piis,
Haec, Medices, monitis ita tu moderaris avitis,
50 Vocibus aut ita sunt haec stabilita tuis,
Ut prudens unus, iuvenis licet, auctor honesti
Quolibet Etrusci frena leonis agas.
Si quis at impulsus, Medices, oriatur iniqui
Martis, ut in Tuscis bella ciantur agris,
55 Tunc ea tu tanta sapiens virtute repellis,
Tunc ea consiliis sunt ita pulsa tuis,
Civibus ut prosis non tu minus inde togatus,
Quam qui bella duces fortia Marte gerunt.
Quod licet Etrusci totiens sint ante Quirites
60 Experti, totiens sint licet atque patres,
Attamen hoc paulo perspeximus ante vel omnes,
Quam tua consilio mens foret apta gravi
Quantaque tam tenero surgat de pectore virtus,
Laudibus aut ea sit quam cumulanda novis,
65 Cum Volaterranas intra furor impius urbes
Armavit socias in sua damna manus,
Impulit et Tuscum contra capere arma leonem
Impulit et sanctam sic temerare fidem.
Ad nostras postquam rumor nam pertulit aures,
70 Ut vetus a socia ius violatur humo,

Ut Volaterranus non aequo foedere portas
Claudens in nostrum sumpserat arma caput,
Cogitur Etruscus praeconis voce senatus,
Coguntur Lydi, turba verenda, patres.
Iamque rogabantur, quae si sententia, cives,
Quave nefas tantum quisque repellat ope,
Iamque suis proceres reliqui differre volebant
Vocibus ad certam bella gerenda diem,
Cum tu divino consurgens numine contra
Impugnas gravibus dicta priora modis
Atque refers, hostis patriae quicunque sit ille,
Debeat ut poenas exhibuisse graves
Nec fore cunctandum, ne quis malus inde tumultus
Amplius in sociis exoriatur agris;
Ut, qui peccarunt nimium, damnentur et ipsi
Sicque ferant sceleri praemia digna suo
Et reliquos procul a culpis ita terreat acer
Exitus atque viris poena parata malis,
Nullus ut exemplo posthac male ductus iniquo
Tuscorum discat temnere iussa patrum.
Vix bene desieras, Medices, memorare quod esset
Utile, consiliis vix data meta bonis,
Cum te sunt pedibus populusque patresque secuti
Assensi verbis quilibet ante tuis.
Nec mora. Tot pedites turmaeque parantur equorum,
Quot modo, si cupiam, vix numerare queam.
Iam Volaterrani subita obsidione tenentur,
Cinguntur castris oppida celsa novis,
Iam leo Tyrrhenus mugire per omnia coepit
Tam sontes cupiens perdere Marte viros.
Iamque loco freti defendere posse putabant
Excelsis hostes moenia ducta iugis,
At nihil immeritos fas est sperare nec illos,
Est quibus in socios eviolata fides,
Nam, licet e summis iactarent turribus illi
Desuper in nostros saxa superna viros,
Urbis et hinc multo complessent milite portas,
Unde graves pugnas sustinuisse queant,
Non tamen haud locus his praeruptus profuit usquam
Neve peregrina spicula iacta manu,
Quo minus in spatium paucorum capta dierum
Urbs tibi, Laurenti, summa tropaea daret
Et daret et summum, Medices, tibi ferret honorem,
Quem posses titulis enumerare tuis,
Haec quia tota tua est victoria digna triumpho,
Gesta quod auspiciis sunt ea bella tuis.
Est decus omne tuum, tanti tua gloria facti,
Uni pro meritis haec tibi palma venit.

Nam cessit fortuna tibi velut Ansia, ne quid
120 Tristius eveniat, dum bene cuncta geris.
Es felix igitur longum vocitandus in aevum,
Est tua sors cunctis anteferenda bonis,
Quod, tu dum, Medices, patriae bene consulis urbi
Dumque Fluentinos protegis arte Lares,
125 Est tibi fortunae sapientia iuncta volenti
Cedere virtuti tempus in omne tuae.

2. *Ad Petrum Medicen.*

Est locus antiqui seducta in valle Mucelli,
Cosmus ubi egregium surgere iussit opus;
Huc ego dum rapior spectandi ductus amore
Tecta opibus Medicum nobilitata novis,
5 Talis tunc avidas cantus demulserat aures,
Mortalis qualem nemo referre queat.
Nam prope sunt circum densis viridaria lucis,
Plurima quae frondis integit umbra sacrae,
Illic terra, tulit quos India, mittit odores,
10 Et quos felici litore nutrit Arabs.
Illic et violas cernas viguisse perennes
Mixtaque puniceis lilia cana rosis.
Hic variae pennis per florea rura volantes
Fundebant blando murmure carmen aves
15 Daphnaeoque oriens fundebat scena theatro
Lumen, quale sacer lucus habere solet.
Spiritus inde novus sese tollebat in auras
Pluraque divino verba notata sono.
Haec ego cum celeri me verto ad limina gressu
20 Nescius Aonias hic habitare deas,
Protinus, ah, tantus splendor praestrinxit ocellos,
Ne sineret sacras usque venire fores.
Interea, dum me dignata est una sororum
Ducere per gelidum, Calliopea, nemus,
25 Haec, ubi, quo paterer divinam cernere lucem,
Unxerat unguentis lumina nostra novis,
Hoc subiens antrum dixit Me pone sequeris,
Sed caveas laurum nunc temerare manu.
Tunc me divinus subito circunstetit horror
30 Arrectaeque metu diriguere comae,
Cum nivea primum conspexi in veste puellas
Pieria castos cingere fronde choros.
Ast, ubi me monuit pulcherrima diva sorores
Aonias sedem constituisse novam,
35 O te felicem — dixi — nunc, Petre, per aevum,
Qui capis hospitio numina tanta tuo.
Omnia conveniunt divinae stirpis alumnae
Dictis nec dubiam dant pia verba fidem,

Nam scenae in medio, surgens ubi plurima laurus,
40 Candidior Pario marmore petra nitet,
Aurea quin etiam de saxo fistula pendet,
Ambrosius quo se funderet inde liquor.
Atque ibi docta comes dixit: Quam serpere cernis
Et quae nunc fontem congerit ecce sacrum,
45 Huc Petrus Medices lympham prorumpere iussit
Deque Casentini labitur illa iugis,
Pro qua Gorgonei deserta est unda caballi
Et quae Castalio nomine nota viget.
Nec iam prisca iuvat Musas Parnasia rupes
50 Amplius aut solitum nunc habitare nemus.
Iam satis est sedes dudum tenuisse Pelasgas,
Iam satis Haemonio tinximus ora lacu.
Nunc valeat Pindus, valeant Heliconia Tempe,
Audiit Eurotas carmina nostra satis.
55 Hic nos certa manet sedes, haec limina nusquam
Deserit, hic doctam pulsat Apollo chelyn
Et nemus hoc veterem Cirrhae delebit amorem,
Hic Aganippeae fons erit instar aquae.
Et quantum lato Maecenas priscus in orbe
60 Nomen habet, Medices protinus inde feret.
Hunc nos Pierio cantabimus ore nec illi
Defuerit meriti gratia magna sui.
Dicemus magnos Petrum superasse triumphos,
Otia dum patriae reddidit ille suae,
65 Nec Ciceronis enim fuerat victoria maior,
Qua patriae verus dicitur esse pater.
Pierides quamvis longum dicamur in aevum
Nec levis extiterit gloria principium,
Petrides hinc dici nomen de nomine Petri
70 Malumus, hinc nostri nominis auctor erit.
Sed tu, si tantos cupias haurire liquores
Et vitreo tandem spargere fonte caput,
Rivulus hic tenuis, qui nascitur inde, caveto,
Ne Medicis labens egrediatur agros.
75 Sedulus his lymphis tam laeta rigaveris arva,
Haec erit usque rotis meta terenda tuis.
Quod modo, si monitus non aspernabere nostros
Verbaque censebis pondus habere mea,
Hoc ubi tempus erit, totum te fonte lavabo,
80 Sic fugies nigros in tua busta rogos.

3. *Ad Laurentium Medicen de suis et Cosmi avi et Petri patris laudibus.*

Fronde sub Herculea Tyrrheni ad fluminis undam
Constiteram, siccos dum canis urit agros.

Huc me sive loci species pulcherrima seu me
Traxerat huc gelidae murmur euntis aquae,
5 Audebam Medicum veteri compulsus amore
Ludere non claudo facta canenda pede,
Cum me, divinis qui temperat omnia nervis,
Vocibus increpuit, talia coepta, suis;
Quis furor, ah, demens, te compulit ire per altum,
10 Nalde, quis undisono credere vela mari?
Non tua tam vastis undis venit apta carina;
Haec tenues fluvios parva phaselus amet.
Qui Phrygias quondam potuit describere pugnas
Et Thetidis quantum filius urget opus,
15 Scribendi possit vix hunc tolerare laborem,
Vix queat haec numeris facta referre suis.
An, quibus insignis Medices se sustulit olim
Artibus in caelum, scribere posse leve est,
Cum tantum summi summa virtute decori
20 Iunxerit ingenio Cosmus et arte bonus,
Ut, dum, quas acer Crassus possederat olim,
Colligit, et quantas Persia novit, opes,
Tot summae fuerit laudes probitatis adeptus,
Tot gradibus nixus sit pater ille bonis,
25 Ut, quamvis opibus cunctos superarit habendis,
Ubere quos pingui Tuscia dives alit,
Non tamen inde minus sancti, quam divitis acer
Optima suscipiens nomina Cosmus habet?
Adde, quod et Musas summo dignatus honore
30 Incumbit studiis tempora longa meis.
Hinc favet ingeniis doctus doctosque benignus
Accipit atque inopes sublevat aere probos.
Aemilii quondam magno ditata triumpho
Roma fuit, Persis cum iuga dura tulit.
35 Non tamen haec cunctos fuerat fortuna per annos,
Sed consul donec Pansa futurus erat.
Cosmus at in patriam congessit plurima, quo sit
Publica perpetuum res habitura bonum.
Hinc solus potuit saevos delere tyrannos,
40 Liber ut in populo floreat inde suo.
Hinc bene promeritos tulit ad fastigia rerum,
Expertes regni nec sinit esse duces.
Sfortia sit testis, cui quanquam plurima virtus
Extitit atque animis accumulata novis,
45 Ni tamen hic opibus Cosmi suffultus et acri
Consilio caperet bella gerenda ferox,
Irrita nimirum cecidissent vota nec illi
Tot bona promerito fors cumulata daret,
Sfortiadae nunquam servisset Gallia regi
50 Imperio veteris facta superba ducis.

Ast, ubi se contra magnum perterrita Cosmum
Sensit conatus illa parare graves,
Viribus haec subito cedens in proelia tantis
Porrexit victas ad sua vincla manus.
Unde fit, ut, semper vestram qui saevus in urbem
Inque Fluentinos hostis acerbus erat,
Anguiger hos turmis ita nunc tueatur amicis,
Nullus ut in tanto constet amore modus.
Sed, tibi si vocem moduletur Musa canoram,
Temperet aut doctam Calliopea lyram,
Non tamen, ut Medices curet modo publica summo
Munera consilio, Nalde, referre queas.
Vix ego, quae profert sacro de pectore Cosmus,
Divinis possem concinuisse modis.
Nam modo, quot pridem Delphis oracula magnis
Edideram, dum me Graecia cuncta petit,
Tot, fateor, Medices patria de sede recenset,
Civibus ut voluit consuluisse suis,
Ut merito Cosmum, Graio quem nomine dicunt,
Quod faciat varia tempora pulchra vice,
Nascentem tali donarint nomine Parcae,
Nam decus hinc patriae, Cosme, futurus eras.
Cuncta igitur divum gessisti e sorte creatus,
Haec tua, Cosme, quibus nomina conveniant.
Ornasti patrios aurata sede penates,
Unde forent Medicae tecta superba domus.
Nam quid templa deum miro constructa decore
Nunc referam cunctis concelebranda locis?
Arnus dum placidis per terras defluit undis
Parrhasii subiens litora nota maris,
Suspicient omnes tectum laquearibus aureis
Laurenti atque opibus templa dicata novis,
Florebunt Marci semper viridaria divi
Et stabunt miris atria porticibus,
Sed Medicen tantum nil tollit ad aethera Cosmum,
Sint opibus quamvis cuncta referta suis,
Quam quod magnanimos divino numine fratres
Eduxit, patriae lumina bina suae,
Quorum qui maior contendit tempus in omne
Illustris nomen condere in astra suum.
Hic moneo, factis ne te tam grandibus error
Implicet, hic nostrae nam foret artis opus.
Scipio nam magnus, fateor, sed magnus in armis
Contudit imperio barbara regna gravi.
Si quis at inspiciat, quot vitae commoda Tuscis
Urbibus aut Medices quot bona summa tulit,
Non minus esse putet Veneto de foedere parta
Otia, Petre, tuis te duce longa dari;

Non minus esse putet populi sedare tumultum,
100 Legibus ut per te pareat inde piis.
Adde, quod est nostris gratissimus ille Camenis
Inque dies illi gloria maior inest.
Nam, quicunque bibens vitreo de fonte sacerdos
Musarum lymphis proluit ora sacris,
105 Is canit erranti Permessi ad flumina Petro,
Surgat ut Aonii quaeque puella chori.
Maecenatis enim fuerant si tempora prisci
Grata mihi, doctas dum colit ille deas,
Non minus et Medices Cirrhae dignatus honore
110 Me rapit et Musas in sua vota pias.
Diligit hic doctos verbisque hortatur amicis
Nec sinit in turpi longa iacere situ.
Vatibus et post haec Petrus dat praemia sacris
Atque opibus pariter consilioque fovet.
115 Ut Maecenatem cuncti cecinere poetae,
Quos tulit antiqui terra beata Remi,
Sic omnes patrii divino carmine vates
Hinc celebrem facient cuncta per ora Petrum.
Hic ego dum Phoebum iam me monuisse putarem
120 Et finem verbis imposuisse suis,
Protinus auratas modulatus pectine chordas
Addidit haec primis talia verba deus:
Ne te poeniteat frustra sumpsisse laborem,
Quod vetui Medicae tangere gesta domus.
125 Iam veniet tempus, cum tu, si coepta sequeris,
Te poteris factis implicuisse novis.
Nam, qui Pierio semper nutritus in antro est
Et puer ingenio praevenit inde senes,
Cui datur e nostra Laurentius arbore nomen,
130 Cui data pro meritis laurea nostra suis,
Ille gubernaclum capiet crescentibus annis,
Quod pater et patruus, quod sibi tradet avus.
Hic magnum Cosmum referet Petrumque parentem
Nec volet a tantis degener esse viris.
135 Nanque Fluentinas is cum tractabit habenas,
Cum populi capiet munera magna sui,
Lydia se quantis attollet gloria rebus?
Exeret imperio Tuscia quanta caput?
Terrebit cunctos fulvi veneranda leonis
140 Maiestas nato frena tenente Petri
Et tandem Medica puer hic edoctus ab arte
Ducet Syllanos ad pia vota patres.
Haec ego vaticinor, quae Iuppiter ipse canenti
Fatorum longis duxerat ordinibus.
145 Ergo, cum talem roseis Aurora quadrigis
Felicem vobis advehet orta diem,

Tunc liceat, docto cum grandius ore sonabit
Spiritus et poteris carmen hiare novum,
Tum liceat summas Medicis perstringere laudes
150 Et libare meis facta canenda sonis.
Finierat monitus et iam properabat in undas,
Cum fugiunt oculos talia visa meos.
Haec tibi, quae longi praestent modo pignus amoris,
Imparibus lusit nostra Camena modis.
155 At, si fata volent Medicum me attingere molem
Et facient gestis me superesse tuis,
Tunc alias sumens, Laurenti, in carmina vires
Audebo Medicae facta referre domus.

4. *Ad Cosmum Medicen de eius laudibus.*

Cum sim dicturus Cosmum, quo pondere cervix
Atlantis gemeret, duro qui vertice caelum
Sustinuit, nemoris non tantum diva beati
Calliope vocitanda mihi doctaeque sorores,
5 At, pater illarum, multo magis ille vocandus
Es mihi, supremum nutum qui concutis orbem,
Qui regis imperio terras et sidera caeli
Clara facis, genitor, cuius sunt omnia plena,
Te, precor, huc assis, dum me per maxima tantus
10 Raptat amor, cumba dum me iuvat ire per altum,
Nam sine te quisnam divinum dicere Cosmum
Audeat aut tantum possit quis ferre laborem?
Cum variis essent mortales pestibus acti
Undique cumque forent terraeque marisque tumultus
15 Exorti plures nec longa tumescere bella
Desinerent lateque undarent sanguine fossae
Caesorum, cunctis dum Mars bacchatur in oris,
Cum iam flava Ceres victum deserta negaret
Agricolis, fugiunt dum structas aere catervas,
20 Liber pampineas nec posset collibus uvas
Defendisse satis, furerent dum Martia campis
Classica nec steriles praeberent pabula terrae,
Maxima debilitas penitus mortalibus aegris
Instabat, pestis miseros invaserat artus,
25 Qualem dira fames genuit, cum fessa labore
Corpora non possent vires revocare peremptas.
Sic mortale genus prope iam vel peste vel armis
Exhaustum multos minimum potuisset in annos
Durare et varios morborum ferre dolores,
30 Ni deus, aethereos nutu qui temperat axes,
Iuppiter, heu, casus hominum miseratus acerbos
Omnipotens sedem superos vocitasset in unam.
Est locus, austriferi medio qui vertice caeli
Eminet, huic geminae panduntur cardine portae,

35 Quo superi possint hac atqua hac ire frequentes.
Aurea caelicolis lateque sedilia magnis
Dependent circum nitidis ornata lapillis
Testudoque super vario distincta colore,
Quam barri e niveo sustentant dente columnae.
40 Hic pater in solio Vulcani ex arte peracto
Constitit et vultu, quo pellit nubila caelo,
Alloquitur stantes divos ac talia fatur:
Nostis, ut in curis homines sint acribus olim
Versati et quantos bellorum exhauserit aestus,
45 Quae miseros agitet, Discordia, qualis iniquis
Vexarit Bellona modis, hinc tristis ad illos
Pervenit miseranda lues, dum trita labore
Corpora deficiunt variis exercita curis.
Hos quia me scitis solos genuisse capaces
50 Ex iis, qui terras habitant, animalibus altae
Mentis et ad caelum possint qui tollere vultus,
Hos igitur, meditor, ne deseruisse putemur,
Egimus in terris nil nos quo rectius unquam
E tantis demum miseros auferre periclis,
55 Rebus et afflictis extremum imponere finem.
Quod fieri ut possit, superis mittendus ab oris
Unus erat vestrum, sed enim natura deorum
Non sinit aeternos quicquam tetigisse caducum.
Sic alius, nostra fuerit qui doctus ab arte,
60 Mittetur, liceat certas cui noscere leges
Fatorum nostrasque vices gessisse per orbem.
Hic ego, sit qualis, concepti mente futurus,
Scilicet ut primum nobis erit ille creandus,
Quisque suas in eum vires effundat, ut omni
65 Protinus hic fiat divorum ex arte beatus,
Cui, cum magnorum curas regumque ducumque
Suscepturus eat, latus quos sustinet orbis,
Cosmo nomen erit, Latio quem nomine mundum
Dixerunt, propria ne distet nomen ab arte.
70 Hic igitur, mortale genus quibus ante periclis
Protinus extiterat, tandem depellat et altos
Auferat ex hominum quamprimum corde dolores.
Post modo, quos tristes habuit metus acer, eosdem
Laetitia explebit Medices; tum saecula condet
75 Aurea, quae quondam Saturno rege fuissent.
Hinc igitur Latii longa cum pace quiescent.
Is, quia, cum terras viset neque bella gerentur,
Ni patriae saevos poterunt quae forte tyrannos
Delevisse satis, vitium neque triste sequentur
80 Mortales, virgo superis hinc rursus ab oris
Ad terras veniet longo post tempore visas,
Sic aut nulla quidem veteris vestigia fraudis

Aut pauca extabunt, sed mox quibus ille peremptis
Instituet sanctos Tyrrhena per oppida mores.
85 Ast, ubi de caelo tandem mittetur et imum
Terrarum Cosmus praesens inviserit orbem,
Divini tanto nimbi splendore nitebit,
Quantum acies hominum nequat sufferre videntum.
Hunc ubi vel magni reges magnique tyranni
90 Agnorint, illi sacros impendere honores
Non dubitent, nam quisque deus quot in omnibus aris
Consultus dederat monitis oracla futuris,
Unus tot sacro promet de pectore Cosmus,
Rebus enim dubiis populi proceresque superbi
95 Consultum e Latio venient, quibus omnibus idem
Certior est Medices Phoebo responsa daturus.
Iuppiter haec multis, at non Tritonia Pallas
Multa refert: Genitor, quis non tua iussa facessat
Aut quis opem tantis non hic velit addere rebus?
100 Per me nulla mora est, quem tu meditare creandum,
Finibus ut Latiis sapiens ita fiat, ut illum
Aequarint nulli Tusca de stirpe nepotes.
Quae cum dixisset Pallas, Cyllenia proles
Ordine subsequitur: Quemquam, rex maxime divum,
105 Praeceptis censes citius parere paternis,
Quam me velle, pater, fuit aut parentior alter
Me tibi, qui rapidos tulerim persaepe calores,
Dum tua quam celeres refero mandata per auras?
Hunc ego, ni solita fuero deceptus ab arte,
110 Divitiis, opibus semper donabo futuris
Innumeris, quales Perses possederat olim
Aut is, qui celeres respersit sanguine Parthos.
At quantum eloquio veniat valiturus et arte
Dicendi, cives referent, quibus omnia Cosmus,
115 Ad patriam longe spectent quaecunque tuendam,
Persuadere potis, varios restinxerit aestus
Bellorum et saevos poterit sedare tumultus.
Praeterea multi e Latio seu forte canoros
Versus astricti numeris seu verba soluti
120 Libera conscribent pedibus, quicunque per aevum
Optabunt longos operum durare labores.
Inscribent Medici vigilata volumina Cosmo,
Tantum nanque sui splendorem nominis addet,
Quisquis ut ad Medicem multo conscripta labore
125 Miserit, hunc hominem dicam, cui nulla futuri
Meta detur, cunctos qui sit victurus in annos
Nec passura sitim videat sua carmina turpem.
Haec ubi divino Cyllenius ore locutus,
Divi, qui media caeli statione sedebant
130 Concordes eadem, summi quae rector Olympi

Dixerat, ingenti sanxerunt cuncta favore.
Protinus est post haec caelesti e sorte creatus
Divorum coetus, fieri quem iusserat omnis,
Mittendum tamen omnipotens non ante putavit
135 Iuppiter ad terras, quam toto pectore sacros
Conciperet divum monitus et honesta piorum
Munera novisset superis versatus in oris.
Ille quibus terras et magnum temperet orbem
More gubernaclum doctus retinere deorum,
140 Conciliis igitur cum plurima tempora Cosmus
Afforet, inter se celebrant quae maxima divi,
Disceret atque homines divina ex arte regendos,
Venerat id tempus, quo Iuppiter aethere summo
Mittat in imperium magnum regnumque futurum.
145 Sunt geminae caeli portae, quarum una deorum,
Altera terrenos nimirum tendit in artus,
Quas circum fertur late candore nivali
Circulus et varium signorum intersecat orbem.
Hinc iter ingrediens Medices ubi sidera Cosmus
150 Splendida deseruit, superorum quilibet illum
Ad cancri portam fuerat comitatus euntem,
Nam licet ulterius nulli prodire deorum.
Huc ubi pervenit Medices, ita Iuppiter altus
Alloquitur Cosmum dicitque novissima verba:
155 Ut noscas, imo quae sis facturus in orbe,
Haec tibi, Cosme, feram ; tu condita mente teneto.
Scito, ubi tu Latium propriis virtutibus orbem
Pacaris pacemque dabunt tua gesta benignam,
Nullo te nigram visurum tempore mortem,
160 Sed fore victurum, dum nubila frigidus aer
Dumque feret caelum stellas, dum montibus altis
Versabuntur apri, fluvios dum piscis amabit,
Nam, velut e nobis unum, te, candide Cosme,
Tollere de medio penitus mala Parca timebit.
165 Ast, ubi tu Latiis extremo maxima terris
Gesseris imperia atque vices in tempora nostras,
Huc tibi sit reditus, sedes haec aurea Cosmum
Certa manet, superas ibis rediturus in oras
Aevo perpetuos illic usurus in annos.
170 Haec deus. At Medices animo nihil inde moratus
Ad terram linquens orbem candore decorum
Descendit, nullam Lethaei fluminis undam
Cum degustaret, geminas neque perderet alas,
Lucida cui tanto fulserunt membra nitore,
175 Ut, sedes quanquam Florenti Cosmus in urbe
Ponendas statuit, quo fortunatior una
Protinus haec Tuscas inter caput efferet urbes,
Attamen est adeo latum vulgatus in orbem

Splendor et extremas late diffusus in oras,
180 Ut Nilusque pater mirans atque ultima Thule
Quaereret, unde foret tam clari causa nitoris.
Cum vero nossent, Latiis ut splendor ab oris
Venisset, Tusca quoniam novus Ammon in urbe
Tunc responsa daret, subito concursus ad illum
185 Factus et ex omni Latii regione videndum,
Qui caelo fuerat nuper demissus ab alto.
Venerunt magnique duces magnique tyranni
Suppliciter rebus dubiis responsa petentes.
Qui cum vidissent hominem vocemque relatam
190 Auribus acciperent sacri de pectore Cosmi,
Usque adeo sensus stupefactaque corda fuerunt,
Ut patriam tandem redeuntes quisquis avitam
Iurarent penitus nullo se tempore quicquam
Vidisse in terris Cosmo divinius usquam
195 Aut se visuros; adeo praesentia famam
Vicerat acceptam cuiusque in mente priorem.
Sic Medicis partes hinc fusum est nomen in omnes,
Ut, Romae fuerat qui princeps optimus olim,
Augusti nusquam celebretur gloria maior.
200 Et merito, quoniam non inferiora togatus
Egerit et patriae verus pater inde vocari
Promeritus fuerit, saevis ex hostibus unus
Quod libertatem saevaque tyrannide texit.
Felix, o nimium felix Florentia, quae te
205 Nunc iactare queas tali pia mater alumno,
Qualem nemo quidem se nunc vidisse fatetur
Hactenus aut Latio iam sperat in orbe futurum.
Hic ita sim demens, tenui qui carmine laudes
Aggrediar memorare novas aut maxima Cosmi
210 Facta Sophocleo nimirum digna cothurno?
Nam puto, si Phoebus divini carminis auctor
Pro meritis ornare velit, vix possit et ipsum
Vix queat ingentem scribendi ferre laborem.
Quis tam doctus erit, digno qui carmine possit
215 Insignem pietate virum laudare? quis usquam
Exprimat, ut Medices superum perculsus amore
Relligione deum priscos superarit avorum,
Cum nullus plures superis impendat honores,
Plura nec ex ullo fuerint in honore deorum
220 Structa vel insigni pulcherrima templa decore,
Arnus, quae, donec leni fluet agmine Tuscus,
Extremis veniens mirabitur advena terris?
Qualis at in Cosmo fuerit prudentia, quale
Ingenium, regit Etruscas dum legibus urbes,
225 Mortali quamvis minus est fas dicere cuiquam,
Hoc tamen haud sileam cunctos, quibus optima curae

Publica res fuerit, vere ingenueque fateri
Omnia se penitus Cosmo didicisse magistro,
Ad bene pertineant urbem quaecunque regendam.
230 Et dubitabis adhuc priscae, Florentia, Romae,
Unde genus ducis Syllano milite primum,
Te fortunatam longum conferre per aevum ?
Quae sit divinos quamvis complexa nepotes,
Imperium terris animos aequarit Olympo,
235 Hoc tamen hanc uno superas penitusque necesse est,
Semper in hoc uno saltem tibi cedat alumno.

5. *Ad Cosmum Medicen.*

Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras,
Hac Troiana tenus fors premet acta ratem.
Egrediens vastis agitatum fluctibus aequor
En mea iam portum fessa carina subit,
5 Cum Medicis placido spectentur carmina vultu,
Lusimus in nomen quae modo pauca suum.
Nunc mihi seu flavas volvat Pactolus arenas
Seu mihi, quas nutrit Lydia, dentur opes,
Indi seu quicquid reges habuisse putantur,
10 Seu teneam, quicquid Persica regna ferunt,
Non tamen haec ausim tali praeponere sorti;
Sat tibi si placeam, Cosme, beatus ero.

6. *Iohannem Medicen Cosmi filium.*

Prima domus Medicum Latiis quia fulget in oris
Nec venit Aoniis gratior ulla deis,
Vos decet, o divae, dare carmina pauca roganti,
Grandia dum Medicis ludere facta paro.
5 Nanque quid esse potest maius, quam pignora Cosmi
Et natum tanto, Musa, referre viro,
Cum possis dici felix hac sorte, Iohannes,
Dumtaxat genitor quod tibi Cosmus adest?
At nunc, quod sequeris monitus in cuncta paternos
10 Et sapiens fratrem consulis inde pium,
Evenit, ut dignus Cosmo videaris alumnus
Et frater magno digne habeare Petro.
Qui cum plura piis impendant tempora Musis
Et magnis faveant protinus ingeniis,
15 Tu colis et Musas pariter sanctosque poetas
Et das pro meritis tu quoque digna satis.
Temporibus nostris aetas concedat avorum
Nec Maecenatem iactitet illa suum,
Maecenas olim favit nam vatibus unus,
20 Maecenas unus spesque salusque fuit,
At modo tris Medices Tusca natique paterque
Urbe vigent, doctis portus et aura viris.

Felices igitur vates, felicia cunctis
Tempora, nam Medices otia pacis amant.
25 Hoc praestat sacri virtus quam maxima Cosmi,
Hoc bona mens magni consiliumque Petri.
Sed, cum dura nimis sors invidiosa senectae
Audeat, heu, Cosmi laedere membra patris,
Nec sic nodosa pudeat male fata podagra
30 Indignos Petri iam temerasse pedes,
Neuter ut officio possit modo captus eundi
Visere, num quisquis iusque piumque colat.
Incedens totam validus tu circuis arcem
Prospiciens, ne quod fiat in urbe nefas.
35 Si qua tamen reperis veteris vestigia fraudis,
Per te sunt sacro cuncta relata patri.
Sic aiunt solitum, caelo cum mittitur alto,
Mercurium summo facta referre Iovi.
Ergo, ubi divino tandem tua pectore Cosmus
40 Dicta capit gravibus exagitanda modis,
Advocat hic subito Petrum, qui proxima patri
Invigilans urbi pondera mente gerit,
Atque ita, cum gemini, cari pia cura parentis,
Assitis, patriae lumen uterque suae,
45 Tunc aperit monitis Cosmus sacer ora futuris,
Ora, quibus populus gaudeat usque suus,
Nam pia promeritis disponit iura nec ullis
Egregiis desunt praemia certa viris
Nec sinit, ut nostra quisquam sceleratus in urbe
50 Evadat poenas, munera digna, graves.
Nec tantum prisci valuit vox magna Lycurgi,
Dum Spartae leges conderet ille novas,
Aut hic, quem, doctae, quondam vidistis, Athenae,
Praeceptis cives composuisse piis.
55 O res mirandas, hominem quis crederet usquam
Proxima divina cernere mente Iovi?
Cosmus enim natis ubi sanxit cuncta duobus,
Hoc et uterque suus sensit alumnus idem
Atque palam reliquis per te sunt facta benignis
60 Civibus et patriae tam bona iura tuae,
Miratur populus pariter sanctusque senatus
Noster ab humano pectore tanta dari.
Nec minus, est quicunque tua vir in urbe togatus,
Tot bona qui tuleris, te veneranter adit,
65 Quam quondam fertur magni gens prisca Quirini
Pompilium precibus concelebrasse sacris,
Nam, populum iustus Romanum Marte ferocem
Frangeret ut sancta relligione Numa,
Fertur Aricinam Phoebo Musisque sacratam
70 In vallem solus saepius isse pater

Atque ibi, Romuleae prosint quae plurima genti,
Egeriam votis consuluisse deam.
Tu quoque divinum fratrem sacrumque parentem
Consulis ut, Medica numina bina domo,
Sic ea, quae populus semper Syllanus adoret,
Crederis e superis nunc habuisse deis.

7. *Eulogium in Iohannem Medicen ad Cosmum patrem.*

Heu, modo qui laeto dicebam carmine natum
Florentem ludens, Cosme beate, tuum,
Cogor in extinctum crudeli funere eundem
Dicere flebilibus tristia verba sonis.
Quam cito fata suum vertunt mutata tenorem,
Quam cito fors diras vertit acerba vices.
Nam quo Syllana florentior alter in urbe
Aut mage quem decuit vivere, nullus erat.
En tristi subito correptus morte, Iohannes,
Deseris extremis frigida membra rogis.
Non tibi divitiae Medicum, non fama per orbem
Profuit in cunctis concelebranda locis,
Non tibi, quod, monitis divini edocte parentis,
Servaris patriae libera iura tuae.
Nil etiam casta te relligione deorum
Tam bene de superis promeruisse iuvat.
Omnia mors rumpit, meritum neque respicit ullum
Nescia vel sanctis parcere dura viris.
Quin etiam credam, cum sacri pignora Cosmi
Ausa sit e medio tollere acerba gradu,
Hanc quoque perpetuos ausuram attingere divos
Et natis orbum reddere posse Iovem.
Desinite hinc omnes quicquam sperare futurum
Longius humana condicione datum,
Postquam, qui meritis totum complectitur orbem
Et trahit aeternos in sua vota deos,
Non potuit Medices natum defendere Cosmus,
Quo minus infernos transnatet umbra lacus.
At potuit. Quis enim Cosmo neget ulla petenti,
Audeat aut tanto non dare cuncta viro?
Tristia, nam, vitae quae rumpit stamina, Clotho
Iurarat Medicos, diva proterva, Lares
Iamque propinquabat thalamo, quo dira Iohanni
Inferret nigras Parca maligna manus.
Sed, cum de nato divino in pectore curas
Vidisset patrem tunc agitare pias,
Hanc ita divini fregit reverentia Cosmi,
Ut coeptum subito linquere vellet opus.
Sed vetat hinc sapiens Parcam discedere Cosmus
Verbaque divina talia voce refert:

Ergo, ubi tam firmus fatorum vertitur ordo,
Qui Iovis e medio defluit usque sinu,
Hactenus ut nullis hominum nullisque deorum
Contigerit celerem sistere posse rotam,
45 Hunc ego non patiar nostro nunc nomine frangi,
Sed per me semper intemeratus eat.
Dixerat. Inde suum servavit Parca tenorem,
Sed quater invito substitit ante pede.
Sic Medices cari constanti pectore Cosmus
50 Inspexit nati funera cruda pater,
Ut nec Anaxagorae nobis, nec sancta Catonis,
Qui invicti natos imposuere rogis,
Sint optanda magis tolerandi exempla doloris,
Quam tua, nam, Medices, tu dare summa potes.
55 Experti hoc cives referunt te protinus omnes
Esse vel in tota fortius urbe nihil,
Nam, voluit quicunque gravis solatia casus
Luctibus in tantis debita ferre patri,
Invicti sensit fortissima pectora Cosmi
60 Nil licet ingenti succubuisse malo,
Sed graviter nati reliquos in morte dolentes
Solandi munus praeripuisse magis.
Dicite, Cecropiae, si quem vidistis, Athenae,
Aut vos, Ausonii moenia celsa Remi,
65 Dicite, vos quaeso, dum prisca aetate virorum
Clarorum vobis copia magna fuit,
Si quem vidistis, vultu qui immotus eodem,
Quo natum genuit, efferat inde suum,
Invictas et qui praeberet luctibus aures,
70 Cum dolor afflictae verberat astra domus,
Et quem, dum maestus lachrimas effundit acerbas,
Non posset populus sede movere gravi,
Praecipue, tanti prae se qui signa doloris
Ferret, ut in lachrimas cogeret ire feras.
75 Nec tot pampineo suscepit Apulia magno
Vota nec aegroto tot pia Parthenope,
Quot nunc Etrusca populus Syllanus in urbe
Suscepit precibus vota pudica piis,
Ut tibi, cui vixdum Saturni exacta maligni
80 Alterius cursus tertia pars fuerat,
Eiusdem saltem binos evincere cursus
Concedat pensis Parca severa suis.
Tot sed vota cadunt, quis vos, dum talia, divi,
Negligitis, possit esse putare deos?
85 Nam modo, qui navem iactatam fluctibus altis
Ingredier portum cernere visus erat,
Hanc procul a terra rursus surgentibus undis
Tristius inspexit edere naufragium.

Heu, quam fallaci stultum confidere sorti
90 Aut dubio quenquam credere vela mari.
Sed, quamvis populus doleat spe captus inani,
Numina sic votis surda fuisse suis,
Quo, tamen, ipse potest, sequitur te maestus honore
Et sua dat cineri dona suprema tuo
95 Vexillisque suis, quae sint tibi pignus amoris,
Exequitur miseris te miser ille modis.
Maxima pars procerum mutata veste fuerunt,
Dum tanti subeunt funera acerba viri.
Nec penitus tota civis fuit ullus in urbe,
100 In lachrimas qui se non daret usque pias.
Quin etiam Fesulo dicuntur vertice nymphae
Tristitia maestas dissoluisse comas.
Heu, quos clamores, tota quos urbe dolentum
Sensimus et questus edere cuncta novos?
105 Ille dolet misero pertundens pectora planctu,
Heu, tam munifico se caruisse viro.
Hic petit a cunctis, an cive humanius illo
Omnibus audierint ante fuisse locis.
Ille refert prisca Medicen pietate Iohannem
110 Plurima in aeternos dona tulisse deos
Et queritur post haec nimis indignatus in illos
Talia tam sancto nil valuisse viro.
Est quoque, qui patriam miserans non desinit omnes
Dicere Syllanos ultima damna pati,
115 Ut nullus Tusca restarit civis in urbe,
Dum tibi supremas contulit inferias,
Cui non extiteris vel maxima causa dolendi,
Praestita dum memorat, officiose, tua.
Sic omnes, maesto dum spargunt ore querelas,
120 Quas dolor infandus cogit inire graves,
Affirmant: Si te potuerunt fata, Iohannes,
E medio patriae praeripuisse sinu,
Non tamen haec tantum cursu valitura perenni
Omnia se quamvis vertere posse putent,
125 Tuscus ut aeternos populus bene gratus in annos
Desistat nomen commemorare tuum,
Ex quo perpetua celebreris laude futurus,
Papula sideribus dum dabit Oceanus.
Adde, quod et fratris vives pietate. Quis usquam
130 Dicitur in fratrem plura tulisse pium,
Cum nolit Latio Petrus cessisse Quirino,
Germani celebrat dum monumenta sui?
Nam, velut illa Remi iuxta se ponere sedem
Iusserat, ut socio nomine iura daret,
135 Sic Florentinas Petrus dum flectet habenas
Atque dabit patriae dum bona tanta suae,

In fratrem mira ductus pietate Iohannem,
Quo nihil extiterat carius ante sibi,
Consiliis urbem patriamque tuentibus ipsam
140 Continuo referet, quam bonus ille fuit,
Hoc melius, quam si constent simulacra perempti,
Fraterno vivet frater in ore diu.
At nos de multis, quos iam reor esse futuros,
Carminibus celebrent qui tua busta novis,
145 In te, quae nostrum, Medices, testentur amorem,
Haec urnae dedimus carmina pauca tuae:
Syllani cuius fleverunt morte Quirites,
Dum premit infandus publica cuncta dolor,
Hic situs est prisca Medices pietate Iohannes,
150 Maxima germani, maxima cura patris.

8. *Votivum carmen ad Apollinem artis medicae deum pro Iuliano Medice graviter aegrotante.*

Carminibus vatum semper si, sancte, piorum
Flecteris et precibus, pulcher Apollo, piis,
Huc, quod Arabs felix aut quod gerit Indica tellus
Aut Haemi quicquid colligit ora, feras,
5 Et quaecunque putas membris conferre levandis,
Seu cantus fuerint, pharmaca sive magis,
Nanque decet puero, vexat quem sontica febris,
Te Medici medicis nunc adhibere manus.
Nam tu sive deus Musarum et carminis auctor
10 Diceris et medicae sive repertor opis,
Nimirum, Petrus quia sit complexus, utrumque
Consorti debes, dive, favere tuo,
A Iove si tristes discis nam pellere morbos
Aegraque sunt curae corpora danda tuae.
15 At Petrus e Cosmo didicit curare parente,
Ne vitiet mentes ulla cupido bonas.
Hinc bene, cum Medices medicas exerceat artes,
Conveniunt generis nomina prisca sibi.
Quod, si voce novem mulces et carmine divas
20 Et nutum servat quaeque puella tuum,
Pluribus at Petrus meritis, nec poenitet illas,
Traxit in arbitrium numina tanta suum.
Si Maecenatem laudant, quod plurima quondam
Vatibus attulerit praemia digna sacris,
25 At longum Medices etiam dicetur in aevum
Et veniet meritis par quoque fama suis,
Non modo, quod doctis doctissimus ipse poetis
Faverit ingeniis, spesque salusque, bonis,
Sed, quia Pieridum miro succensus amore
30 Hospitio Musas suscipit ille domi.

Nam Petrus Aonio deducens vertice nymphas,
Hactenus Haemonium quae coluere nemus,
De Pario vitreum construxit marmore fontem,
Unde fluat, sacros quae lavet, unda, choros.
35 Quin, prope se quales, hortos, nec Thessala Tempe
Pulchra vident, doctas iussit habere deas,
Ut possit Petrus Musas audire canentes,
Quae Medicum laudes sint habiiura novas.
Tantus honos Medicis divas nam detinet illas
40 Deque suo tantum provenit ore decus,
Ut, quotiens lauri virides spatiatur ad umbras,
Assurgat Medici quaeque Camena Petro.
Haec ego. Tum Phoebus respondit pauca roganti
Auratae pulsans consona fila lyrae:
45 En precibus votisque tuis, en, Nalde, pudicis
Assumus, en castus numina flexit amor.
Me tibi Pierides patientur adesse vocanti
Meque volent Medici cuncta adhibere pio
Et, quanquam lati distinguo tempora mundi,
50 Cursibus et nostris itque reditque dies,
Hic adero tamen. Interea quis forte deorum
Lucis agat currus, viderit ipse pater.
At tu, ne dubia suspensus mente traharis,
Accipe divinis verba notata sonis.
55 Ille Petri Medicis natus, cui multa precaris,
Liberet ut morbus membra tenella gravis,
Ne dubita, febres quam primum, Nalde, malignas
Evadet, si quid pharmaca nostra valent.
Ah, quibus ille meo servatur numine rebus,
60 Afferet aut patriae quot bona summa suae.
A magno, qui, cum deducat nomen Iulo
In Medica genitus, strips generosa, domo,
Dum longos vitam felix producet in annos,
Se similem generi nominibusque dabit.
65 Me duce nam vitreo tantum de fonte liquoris
Versatus nostris hauriet usque iugis,
Ut tibi, qua merito, Laurenti edocte, nitentes
Arbore iam cinxit lecta corona comas,
Hac itidem fratri nectam de fronde coronam,
70 Sitis ut e nostro munere uterque pares.
At, postquam veniet nobis maturior aetas,
Qua patriae liceat res agitare graves,
Extremis tandem victrix Florentia terris
Finiet imperium facta beata suum.
75 Tunc sinet, Arne, tuis misceri maximus undis
Ipse suas Nilus Eridanusque pater,
Audiet et Lydos etiam mugire leones
Subdita longinquis ultima terra plagis.

Cuius ut insignis lucescat gloria palmae,
80 Crescat et ut Medicae fama decusque domus,
Victrici rursus victorum tempora lauro
Ornabo propriis ipse deus manibus.
Tunc te felicem dictabis, Petre, parentem
Et nihil huic sorti praeposuisse voles,
85 Cum donata mea populo comitante corona
Pignora conspicies bina redire domum.
Haec cecinit Phoebus. Phoebo quis verior augur?
Quis dubitet vati credere cuncta deo?

9. *Epitaphium in Laurentium Cosmi Medicis fratrem.*

Postquam te patriae rapuerunt fata dolenti,
Laurenti, Medicae gloria magna domus,
En Cosmus frater nulli pietate secundus
Donavit tumulo nunc tua busta novo.

10. *Ad Laurentium Medicen Petri filium.*

Ecce, Syracusiam cum nunc tibi ludere Musam
Incipiam, qualem scripserat ante Maro,
O utinam tanti longe vestigia vatis
Extremo possem tempore docta sequi.
5 Qualiacunque tamen, placida, te, mente, rogamus,
Utque soles, Medices, carmina nostra legas.

11. *Eulogium in Cosmum Medicen patrem patriae.*

Ergo quis infandum poterit narrare dolorem?
Quis poterit lachrimas explicuisse graves?
Quae mihi, quae poterit carmen spirare dearum,
Dum gravis affligit pectora nostra dolor
5 Dumque adeo Medicis lugemus funera Cosmi,
Natus ut extincti frigida busta patris?
Cum, nova praesertim quae iam dictare solebant
Vatibus Aonio verba notanda pede,
Nunc etiam nigra squalescant veste Camenae
10 Et solvant tristes in sua colla comas,
Cum graviter Phoebus casu concussus acerbo
Dicatur maesta conticuisse lyra.
Nam neque Syllani tantum te, Cosme, Quirites
Extinctum lachrimis condoluere novis,
15 Sed superi, quorum lugendi rarior usus
Et procul a tristi vivere maestitia.
Quod bene de cunctis adeo si, Cosme, fuisti
Promeritus, vita dum fruerere pia,
Ut sua nunc maestis tundentes pectora palmis,
20 Heu, doleant mortis fata severa tuae,
Non precor, e nostro discedat corpore luctus
Aut sim praecipuae condicionis ego,

Hoc precor, usque adeo laxentur membra dolore,
Ut pateat stupido pectore vocis iter,
Qua liceat, maesto dum fundimus ore querelas,
Fortunae miseras condoluisse vices,
Qua liceat, patriae dum dantur iusta parenti,
Debita flebiliter publica damna queri.
Tempus erat, Titan quo fervida signa per orbem
Acrior Herculei terga leonis adit,
Cum prope iam positus supremo in limine vitae
Senserat extremum Cosmus adesse diem.
Ergo non vanos metuens in corde dolores,
Inscia quos hominum turba timere solet,
Sed constans, veluti qui dudum certus eundi
Sidereas cuperet rite redire domos,
Advocat hic natum, qui verba extrema parentis
Audiat, heu, levibus non referenda modis.
Qui simul ac, monitus servaret ut ille paternos,
Divini subiit ora verenda patris,
Naturam nivei Medices imitatus oloris
Suprema moriens talia voce dedit:
Si morbus gravior tristi vitiata senecta
Corpora nostra vetat vivere posse diu,
Te precor, ut nostri tantas de pectore curas
Et medicam mittas, quam, Petre, quaeris, opem
Nec tu Parcarum tristem durumque tenorem
Tam levibus curis flectere posse puta.
Nam me fata vocant, video, nam Iuppiter ipse
Me iubet humanas deseruisse vices.
Non invitus eo nec me mortalia tangunt
Vota nec est vitae iam mihi cura meae.
Mortales pridem meditans deponere curas
Me procul hac humili tollere sorte paro,
Corporis ut caecis tenebris vinclisque solutus
Extremum valeam carpere mente bonum.
Quo facere id possim, curas tu, nate, paternas
Suscipe; sunt humeris pondera digna tuis.
Quarum nulla magis me me nunc urget euntem
Nec magis ingenium degravat ulla meum,
Quam me, quae semper vita mihi carior ipsa
Extitit, heu, patriam linquere, nate, piam,
Quod te per geminos, tua pignora cara, nepotes
Oro perque meum, Petre, senile caput,
Ardenti ut studio Lydos tueare penates
Et procul infesto semper ab hoste tegas
Et, quae nunc multos est iam servata per annos,
Florentis placidus otia pacis ames.
Concordes, moneo, semper complectere cives
Et quibus est patriae maxima cura suae.

His, precor, ut sociis Etrusci frena leonis
In rectum semper flectere, nate, velis.
Nec tu iustitiae monitus contemne severos,
Dum statues urbi libera iura tuae,
Nanque potes duros populi vitare tumultus
Hac duce, dum meritus quemque tuetur honos.
Quin, ubi te iustis reges populique videbunt
Legibus Etruscas instituisse domos,
Undique convenient ad te, mi nate, frequentes,
Qui rebus cupient consuluisse suis.
O quam conspicies hanc urbem quantaque cernes
Tempore Lydorum surgere regna brevi,
Cum tibi vel reges potius parere monenti,
Quam reliquis mores imposuisse, volent.
Hic ego, si tenues fuero dilapsus in auras,
Ut nequeam sedes, nate, videre novas,
Attamen, Etrusci, gaudebo, ut regna leonis
Accipiam monitis aucta fuisse tuis,
Nam me, quae tenuit vivum tellure repostum,
Suscipiet patriae maxima cura meae.
Iamque vale et nostrum pompis ornare sepulchrum
Desine; quod terra est, fac, quoque terra tegat.
Vix ea finierat, cum fama accita sinistra
Advolat huc celeri patria maesta gradu;
Nanque suburbanum, quod te tum, Cosme, tenebat,
Casibus illa petens venit abacta novis.
Ergo, ubi divini subiit penetralia Cosmi
Atque patrem vidit patria maesta pium,
Tristibus extemplo Cosmum complectitur ulnis
Effundens querulis verba dolenda modis:
Quis me, quis miseram, genitor carissime, natam,
Quis me, quis sine te vivere posse putet?
Cui, modo si moreris, cuinam deserta relinquar
Quisve suo poterit me refovere sinu?
Quid vos, fata, iuvat, saevissima numina, tristi
Funere divinum sic temerare patrem?
An quoque, quod sacrum est, audetis tollere, Parcae,
Nec pudor est sanctos perdere morte viros?
Quin ego crediderim mortem tibi posse parari,
Iuppiter, et nigros posse subire rogos,
Si modo sic rapitur superum dignatus honore
De nostro Medices in cava busta sinu.
Dixerat et lateri post haec affixa paterno
Hinc oculos nusquam dimovet illa suos
Et modo defessi permulcet membra parentis
Et modo dat canis oscula maesta genis.
Interdum saevam tentat si flectere mortem,
Aut lachrimis posset fata movere piis.

Ast, ubi tot cernit precibus nil fata moveri
120 Aspera, sed cursum continuare gravem,
Quod superest, cari morientia lumina patris
Cogitat, heu, tristi composuisse manu;
At nequit infelix subitis exterrita monstris
Officium patri reddere nata pio.
125 Nanque, ubi perspexit gelidos miserabilis artus
Extremis Cosmum deseruisse rogis,
Heu, gelidum magno pectus stupefacta dolore
Concidit in patrios exanimata sinus.
Post, ubi iam stimulis urgens gravioribus illi
130 Excussit stupide languida membra dolor,
Consurgit pugnis pectus percussa decorum
Et lachrimis maestas irrigat inde genas.
Hinc, quaecunque venit, gravibus loca questibus implet,
Dum dolet extinctum patria maesta patrem:
135 Quis te, Cosme pater, saevus mihi casus ademit
Quisve sacrum potuit vis temerare caput?
Quis te, quis nobis invidit, Cosme, deorum
Aut quae te rapuit livida Parca mihi?
Cui tantum de te concessum, Cosme, quis ausus
140 Aeternum tristi perdere morte virum?
An passa est rerum natura extinguere Cosmum?
Ah, potuit tantum sustinuisse nefas,
Ut modo sustulerit, tali quem sorte creatum
Ipsa quidem summa finxerat artis ope,
145 Esset ut in terris aliquis, qui mente valeret
Divina superos aequiperare deos,
Cui foret in cunctis ea mens praesaga futuri,
Qui foret aut tanto praeditus ingenio,
Ut nihil instaret dubium mortalibus usquam,
150 Quin hic non acie cerneret ante gravi?
Hinc igitur, quotiens olim te, Cosme, videbam
Insigni egregios arte praeire viros,
Dum tua consiliis peterent oracla futuris
Undique vel summi, turba verenda, duces,
155 Verius et post haec a te responsa referrent,
Quam possint aliquo reddier illa deo.
Non ego credebam, sic mors inferre per aevum
Auderet nigras in tua terga manus,
Sed te divina victurum sorte putabam,
160 Aurea dum geminus pasceret astra polus.
Nunc moreris nec me tecum trahis ecce volentem
Nec sinis in sortem, Cosme, venire tuam.
Heu, quibus inveniam te nunc, pater optime, terris
Aut ubi, qui pariter me colat, alter erit?
165 Quid primum deserta querar? Quis damna rependet
Tanta, quis aut Fesulas temperet arte domos?

Unus enim noras penitus, quaecunque fuissent
Sive gerenda domi sive gerenda foris.
Saepe alias quamvis divino in pectore virtus
170 Laudibus eluxit concelebranda novis,
Hoc tamen egregias Medicis cognovimus artes
Tempore, quo Lydos presserat ipse furor.
In mea cum miseri saevirent viscera cives,
Cum timui socias in mea damna manus,
175 Passus es antiquas nimirum linquere sedes,
In me ne videas vertier arma, pater.
Cum saperes, diro cessisti, Cosme, furori
Non veritus caros deseruisse Lares,
Ne, tu si contra contendas viribus, ipsum
180 Cresceret alterna seditione malum,
Tum, si fata mihi tandem meliora venirent,
Restares patriae spesque salusque tuae.
Ergo, ubi tu Fesulam per me revocaris ad urbem,
Publica res Medicae noscat ut artis opem,
185 Huc populi patrumque humeris suffulte redisti;
Quanto candidior hac fuit illa dies.
Sic, ubi compositos Medicum virtute Quirites
Maximus in placida pace revinxit amor,
Ex illo semper, Medices, tibi maxima cordi
190 Cura fuit, patrium surgeret imperium.
Hinc memini, summas dum rerum flectis habenas
Dumque doces Tuscos candida iura patres,
Insubris e Laribus nostris horrenda Philippi
Agmina consiliis pulsa fuere bonis,
195 Protinus antiquum cum, Piccinine, Mucellum
Sub iuga credebas posse venire tua.
Nam, licet hoc Lydi trepidarent tempore cives,
Dum timor insolitos vertit ad arma viros,
Constanti Medices a cunctis pectore Cosmus
200 Civibus ingentem iussit abire metum
Atque suis tandem melius confidere rebus,
Dum monet hostiles pellere ab urbe minas,
Donec in Anglari Nicolaus valle subactus
Milite de nostro maxima damna tulit.
205 Singula sed referam quid nunc bene gesta parentis,
An, premat ut gravius pectora nostra dolor?
Sed, premat usque licet, moriar prius ipsa, necesse est,
Praestita quam taceam, candide Cosme, tua.
Tu nostris Calabrum pulsasti e moenibus hostem,
210 Tu Lusitani fortia castra ducis.
Si quis, at, iniustus surgebat forte tyrannus
In me, quam primum te duce pulsus erat.
Sicque graves casus et summa pericula summis
Vitabat studiis Tuscia prisca tuis.

215 Urbibus Etruscis nec te divinius usquam,
Consilium patriae qui daret, alter erat.
Acrius ingenio, Medices, te nemo videbat,
Temporibus dubiis quae faciunda forent.
Ergo, ferox Arago nostros cum forte Quirites
220 Fideret insolito posse domare iugo,
Consilio tantum, tantum pietate fideque
Publica res per te constabilita fuit,
Ut Calaber Medica pulsus virtute tyrannus
Inceptis caderet turpiter ille suis.
Nec satis est acies penitus delere molestas,
Quae me vexassent Marte furente graves,
Sed mihi perpetuos demisti, Cosme, timores.
Aspice, quas vires patrius ardor habet.
Aspice, quo Medices patriae succensus amore
230 Hostiles Tusca pellat ab urbe minas.
Ne quis, enim, Lydos auderet forte Quirites
Viribus interdum sollicitare novis,
Cum duce Bebriaco foedus percussit amicum,
Civibus Etruscis quod violare nefas.
235 Cum meminisset, enim, qua Gallus mente Philippus
Saepius indixit bella gerenda mihi
Utque suis cuperet Lydum domitare leonem
Viribus et Tuscos diripuisse Lares,
Cum bene novisset post haec te, maxime rerum,
240 Sfortia, militibus consuluisse meis
Quantaque praeterea constanti e pectore virtus
Surgeret et quantum mens agitaret opus,
In me ne posset Ligurum saevire tyrannus,
Amplius ingenuo prospicit ille gravi.
245 Inde videt Lydos monitis hortatus honestis,
Ne desint summo praemia summa viro.
Nam, tibi Caesareas cum forti e pectore vires
Cerneret in bellis enituisse novis,
Ut posses armis magnos sperare triumphos
250 Fortibus et priscos aequiperare duces,
Ni te deficiant comites, qui forte ministrent,
Sfortia, virtuti commoda quaeque tuae,
Non cessat Medices opibus contendere magnis,
Non cessat vires accumulare tuas.
255 Sic, dum consiliis Medicum suffultus et auro
Expugnas populis moenia saeva meis,
Insubris imperio quondam subiecta Philippi
Gallica pro meritis sunt data regna tibi.
Hinc me maiori iam nunc pietate tueris,
260 Hinc manet in socio maior amore fides,
In me quam fuit aut odium crudele tyranni
Illius aut in me quam gravis ira fuit.

Nec tamen, heu, saevam potuerunt flectere mortem
Tot merita in patriam, Cosme benigne, tuam.
265 Quae cum sint, aderit quisquam, qui lumina nostra
Perpetuis lachrimis posse carere putet?
Adde huc optatae per te tot commoda pacis,
Adde huc et nati munera magna tui.
Nam, cum pauca mihi veteris vestigia belli
270 Restarent Medica frena tenente domo,
Cum Veneti Tuscam cuperent turbare quietem,
Cum raperet nostros Appulus hostis agros,
Mittitur in foedus Cosmi genitoris alumnus,
Comprimat ut motus, Mars violente, tuos.
275 Qualis, enim noram, Petri de pectore virtus
Surgeret aut similis quam foret ille patri.
Nec spes destituit, dum tantae pondera molis
Sustinet atque iras temperat arte graves.
Dum Petrus egregiam percusso foedere pacem
280 E Veneto rediens attulit usque sinu,
Sic nati virtute nova, virtute parentis
Tradita sunt Italis otia longa viris.
Ast, ubi me diris iactatam saepe procellis
Accipit in tutos mollior aura sinus,
285 Erigis auratos, insignis Cosme, penates,
Ut vetus Etrusca crescat in urbe decus.
Hinc in honore deum cunctos celebranda per annos
Condita sunt opibus candida templa tuis;
Candida templa quidem Fesulis suffulta columnis
290 Quae sint ingenii signa notanda pii.
Nam, quicunque novas spectabit protinus aedes,
Quas addis sacrae, candide Cosme, cruci,
Quique pio Marci constructum nomine templum
Viderit aut cameris atria longa novis,
295 Laurenti cernet nitidum quicunque lacunar
Auratas tecto versicolore trabes
Aut canonum surgens templum sedemque sacratam
Viset et ut pulchra fornice tecta nitent,
Asseret hic, dudum qui iam tot templa, tot aedes
300 Ingenti Medicum condidit aere sacras,
In terris olim nulli pietate secundus
Extitit aut superum relligione deum.
Nec tegit haec pietas Cosmum; tot sacra colenti
Improba mors nigras iniicit ecce manus.
305 Nec iuvat, heu, doctas semper coluisse Camenas
Illarumque choris usque fuisse ducem.
Nam, quicunque sacrum cupiens libare liquorem
Sperabat vitreo spargere fonte caput,
Te duce Cirrhaeas hinc est deductus in oras
310 Votaque complevit te duce, Cosme, sua.

Quicquid enim, Medices, uni tibi forte placebat,
Quicquid et ingenium sanxerat inde tuum,
Hoc alacres itidem Nysae sub vertice Musae
Numine firmarunt tempus in omne suo,
315 Quo te non patrii tantum dixere poetae,
Qui cuperent frondes carpere, Cosme, sacras,
Sed quoque Bebriaci divino carmine vates,
Sed quoque te Latii concinuere viri,
Qualia Pierias tentabant gaudia mentes,
320 Qualia Castalii pectora sancta dei,
Bellerophonteas cum te ductante cohortes
Spectabant auctos ex Helicone choros.
Nunc mecum, heu, lugent communia damna querentes
Communemque dolent numina maesta patrem.
325 Nec tantum Caesar, qui fessas dicitur omnes
In placido Musas continuisse sinu,
Ad lachrimas movit divarum lumina quondam,
Dum subit extremos morte iubente rogos.
Nunc Medices quantum fato correptus iniquo
330 In luctum maestas compulit ire deas.
Et merito. Quis enim Latiis erat alter in oris,
Qui daret, heu, doctis praemia tanta viris?
Num quis erat, Medices, qui non donatus abiret,
Nomine qui ferret scripta legenda tuo?
335 Ille domum de te suscepit, Cosme, Laremque,
Hic etiam de te praedia laeta tulit.
Divitiis alius Medicum ditatus et auro
Invenit ingenio munera quanta suo.
Quid referam, summo quos es dignatus honore
340 Aut duce te summum qui tenuere gradum?
Enumerare mora est, quot iam, dum praemia dignis
Digna paras, artes edidicere bonas.
Hinc oratores, hinc sunt mihi, Cosme, poetae,
Hinc sunt philosophi, turba verenda, graves.
345 At bona quot nobis tecum modo rapta fuerunt?
Decidimus quanta spe modo, care pater?
Per te iam virgo terris Astraea redibat,
Ut tecum fraudes pelleret illa malas.
Iam mihi, iam, Medices, te consultore redibant
350 Aurea Saturni saecla benigna senis.
Iam fore credebam me tandem, Cosme, quod olim
Caesaris Augusti tempore Roma fuit.
Fallor at infelix fatis confisa malignis;
Fallor, ut in lachrimis tempora longa teram.
355 Nam mihi quae veniat sine te modo, Cosme, voluptas?
Pectora quid sine te nostra iuvare queat?
Quid prodest, placida quod per te pace fruamur,
Quidve iuvant populos otia longa meos?

Si moreris, vitae, Medices, pars maxima nostrae,
360 Si pater amplexu velleris usque meo,
O saltem exequiis patrium celebrare sepulchrum
Sivisses meritis pignora cara, pater,
Haec aliqua, heu, nobis solatia, Cosme, tulissent,
Haec lachrimas poterant imminuisse graves.
365 At tu, quem vitam servasti semper in omnem,
Cum moriens cuperes hunc adhibere modum,
Usque vetas ullis efferri funera pompis
Aut Mausoleo condier illa novo.
Ast ego, quae nullis astringor legibus usquam,
370 Libertas monitis cui data, Cosme, tuis,
Ipsa quidem tali semper dignabor honore,
De te quae restant maxima facta, pater,
Temporibus priscis quali dignatus honore
Etrusca nullus civis in urbe fuit,
375 Denique vel qualem Ciceroni Roma togato
Libera vix uni praebuit una viro.
Nanque pater patriae Tusca vocitaberis urbe,
Libera dum populis iura petita dabo.
Haec tibi, dum magnum radiis sol circuet orbem,
380 Constabunt titulis nomina iuncta tuis,
Haec tibi non fatum, non invidiosa vetustas,
Non tibi longa licet auferat ulla dies.
Dixerat et variis tandem confecta querelis
Reiicit in fratrem languida membra Petrum.
385 Ille sinu accipiens dictis solatur amicis
Ac fessam luctu sublevat inde gravi.
Si visum est Medicen fatis extinguere Cosmum,
Si patre nos privant numina terna pio,
Niteris in vetitum; nam, Ditis busta tenebras
390 Cum semel intrarunt, ianua clausa manet
Nec revocare datur, cum fuscae ianitor aulae
Obseret aeterna limina dura sera.
Disce igitur querulis iam finem imponere verbis,
Disce tuis lachrimis nunc adhibere modum,
395 Ne tibi, ne dubita, desit, qui publica curet
Munera, qui Fesulas temperet arte domos,
Nam mandata pater, quibus haec tua damna leventur,
Extremis moriens vocibus ipse dedit.
Praeterea claros Tusca de gente Quirites
400 Nonne, soror, cernis tot superesse tibi?
En Florentini proceres sanctusque senatus
Fluctibus en assunt, portus et aura, tuis.
His licet ingenti vexentur corda dolore
Et veniat luctus ut tibi causa gravis,
405 Hi tamen edocti Cosmi virtute parentis
Te poterunt tantis eripuisse malis.

His igitur ducibus lachrimis conabor ab istis
Ad laetos tandem te revocare gradus.
Annuit illa viro et, quotiens solatia quaerit,
410 Ad notos Medicum confugit ipsa Lares.

12. *Epitaphium in Cosmum Medicen patrem patriae.*

Etruscis fuerit Cosmo quid maius in oris?
Omnia si memores, non reperire queas.
Et tamen emoritur Medices. Quis credere possit
Maxima tam minimo marmore busta tegi?

13. *Aliud in eundem.*

Fallitur hic, quisquis Medicen putat esse sepultum
Cosmum, vivit enim, pars meliorque viget.
Illius hac cineres, fateor, conduntur in urna,
Cosmus at in superas se tulit ipse domos.

14. *Aliud in eundem.*

Conservatores patriae satis esse tuendos,
Hanc, quicunque putas, hanc venereris humum.
Cosmus enim Medices iacet hic, quo maior Etrusco,
Dum regeret patriam, nullus in orbe fuit.

15. *Aliud in eundem.*

Discite vos, Lydi, Cosmo bene discite, cives,
Rebus ab hoc vestris imposuisse modum,
Nam, licet Etrusca maius nihil esset in urbe,
Vult tamen hoc humili marmore busta tegi.

16. *Carmen in Cosmi Medicis patris patriae cadaver post aliquot annos integrum repertum.*

Quid mirer Cosmi Medicis durasse tot annos
Mortis ab extremis integra membra rogis?
Hinc spectare licet, qua te natura creatrix
In lucem, Medices, condicione dedit,
5 Scilicet, ut vivens animus tua corpora nusquam
Linqueret, heu, saevae diripienda neci,
Sed, velut est, cunctos semper victurus in annos
Iuncta simul menti sic tua membra forent.
At, postquam natura videt non posse tueri,
10 Ipsa quod egregia finxerat artis ope,
Id quia fata negant, negat id quia Iuppiter altus,
Ortum quicquid erit, vivere posse diu,
Quod potuit, fecit, cunctos ut semper in annos
Par foret atque animo corpus inane suo,
15 Ut, cum iuncta diu simul haec habitare nequirent,
Id cuiquam nulla sit quia sorte datum,
Altera pars superis aeternum vivat in oris,
Altera perpetuos duret in orbe dies.

17. *Ad Petrum Medicen de spe in eum concepta.*

Mos erat in Latio, populus cum victor ab hoste
Romuleus niveis ibat eburnus equis,
Urbs Romana novos ductans cum laeta triumphos
Vidit honoratos inter et arma duces,
5 Ut quoque diversis Latia virtutibus urbe
Numinibus veluti templa dicata forent.
Hinc Titus et Paci, rediit cum victor ab hoste,
Condiderat spoliis templa decora novis.
Romae cultus Honos, Victoria culta, sed illis
10 A duce Marcello templa duobus erant.
Cana Fides aris albo circundata panno
Ipsa suis prisco tempore culta fuit.
Ah quotiens populus, saevum, Romanus, in hostem
Dum fertur, votis spem vocat ante suis.
15 Ah, quotiens victor rediens nova sacra piavit,
Spes, sibi quod per te vota secunda forent.
Haec diversa locis, haec aurea templa per urbem
Sunt quoque diversis condita numinibus.
At Medices summas dum rerum tractat habenas,
20 Dum Petrus Etruscos temperat arte Lares,
Omnibus eduxit templum virtutibus unum,
Quod, nisi me fallit, stat tibi, Petre, domi.
Hic aris sumit positis libamina prima,
Quae dea de superis dicitur Erigone.
25 Aurea divinis nec non Concordia votis
Praecipue, Medices, est, Petre, culta tibi.
Quid sacra nunc referam, patria quot sede litasti,
Ut Pax Etruscas visat amica domos?
A te Spes certis etiam certissima signis
30 Creditur, o Medices, in tua sacra coli.
Hinc est, quod cunctos sequor hanc ego laetus in annos
Pollicitis fisus tempus in omne suis.
Ut reliquae quoniam solidae celebrantur in aevum
Virtutes Medicis, sacra pianda, focis,
35 Sic quoque sic posito viridi de marmore templo
In Medica colitur Spes dea certa domo.

18. *Ad Laurentium Medicen de equestri certamine.*

Mirentur reliqui, galea cur tectus et armis
Tam poteras longae taedia ferre morae;
Ast ego nil miror, praesentia numina quando
Perspexi Medici semper adesse pio.
5 Ante oculos iuvenem stimulans gestabat Apollo
Laureolam, ducibus praemia certa bonis.
Hinc Pallasque manus ac tela regebat in hostem,
Semper ut adversum stringeret hasta caput.

Quin etiam variosque tibi Venus aurea flores
10 Legerat ipsa suis saepta Cupidinibus
Hos, bene dum lato meditaris proelia campo,
Ludicra, si caderes, sternat ut illa tibi;
Unde potes, Medices, iuvenis fortissime, fortes
Hi licet extiterint, exuperasse viros,
15 Laurenti, primam donec tibi sumere palmam
Contigit, o populi fama decusque tui.

19. *Ad Laurentium Medicen.*

Quod bene Pieridas doctus mulcere puellas
Saepius ad citharam carmina sancta canas,
Rursus et insignis venias fulgentibus armis
Defendens patriae libera iura tuae.
5 Vel multi dubitant, num te divinus Apollo
Intret, ut Etruscos visat amicus agros,
An sis Mars potius, caelo qui nuper ab alto
Veneris, ut patrios sic tueare Lares.
Ast ego nil dubito, cum sis utrumque deorum
10 Complexus, nam tu numen utrumque tenes,
Sed, pravis quotiens mavis inferre timorem,
Audeat in patriam ne quis inire dolos,
Laurenti, faciem Gradivi sumis et arma,
Sis quibus auxilium, portus et aura, tuis.
15 Inde, probis quotiens animos das civibus aut cum
Exponis meritis praemia digna viris,
Sumis Apollineos habitus et pectore toto
Concipis aurata verba canenda lyra
Atque ita tam suavi profers modulamine carmen
20 Et tam divinos concinis ore modos,
Ut Phoebus veluti superos deducit ad ipsam
Temperiem cithara carminibusque sacris,
Sic cives numerisque tuis fidibusque canoris
Ad pacem Lydos composuisse queas.

20. *Ad Petrum Medicen.*

Aureus es totus, Medices; tibi cuncta refulgent
Aurea, sunt mores, aureus est animus.
Aurea quin etiam surgit de pectore virtus,
Sunt, Petre, quae dicis, aurea, quaeque facis.
5 Te duce pax rediens ramo felicis olivae
Aurea per populos ambulat ecce tuos.

21. *Ad Laurentium Medicen.*

Si tibi iam pridem, Laurenti edocte, nitentes
Ornavit merito laurea casta comas,
Attamen, es pacis quoniam tu proximus auctor,
Proxima quod patri pondera mente geris,

5 Te quoque felicem capiti decerpere olivam,
Quam geris, et lauro conseruisse decet.

22. *Ad Laurentium Medicen.*

Aurea cum primum Dictaeus saecula princeps
Condiderat priscis saecula nota viris,
Visa pudicitiae vestigia prima fuerunt,
Tunc castas tellus coepit habere nurus.
5 Romuleam post haec eadem celebrata per urbem
Ultima Tarquinio regna tenente fuit,
Candida cum sacri Lucretia casta pudoris
Matribus exemplum grande dedit Latiis.
At nunc Etruscas similis dea rursus in oras
10 Ex illo tandem tempore casta redit,
Talia sed sumpsit formosae membra puellae,
Qualia Tyndariden vix habuisse putem.
Adde, quod et voluit Lucretia casta vocari,
Cum memor antiqui nominis illa foret,
15 Quae licet humano lateat sub pectore diva
Atque hominis speciem praebeat ipsa novam,
Attamen, ut primum, Medices tu callide, nosti
Rite sub humana fronte micare deam,
Illam, qua teneris fueras imbutus ab annis,
20 Coepisti pura purus amare fide
Et, facies quanquam patria discedere ab urbe
Dicitur, et Tuscas linquere velle domos.
Nam, cum, Laurenti, non sit mortale, quod optas,
Cum te nil praeter vota pudica iuvet,
25 Haec, quascunque petat sedes, ubicunque moretur,
Te, quod semper erit, semper amare decet.

23. *Ad Laurentium Medicen.*

Ut bene conveniunt, per te quia clareat uxor,
Clarici, Medices, nomina clara tuae,
Ut te, quod laurum nomen petat et tua virtus,
Clarius urbe tua cernitur esse nihil,
5 Sic, superos, pulchra faciat te prole, rogamus,
Tu velut es, clarum clara puella patrem.

24. *Eulogium Petri Medicis Cosmi patris patriae filii.*

Quid totiens in nos ruitis, crudelia fata,
Dum cupitis Medicam sic temerare domum?
Nonne satis damni tulimus, cum morte nefanda
Sustuleras Cosmum, Parca maligna, patrem?
5 An quoque vos graviter livor malus urget et atras
Omnibus iniicitis invidiosa manus?
Sic est; invidia patrii solatia casus
Tanta quidem per vos rapta fuisse puto.

Vos Petrum rapitis, ne sit, qui forte rependat,
10 Quod tulimus Cosmo deficiente malum.
Iustior Etrusca quisnam fuit alter in urbe
Aut bene promeritis qui magis aequa daret?
Testis erit, Medices, sanctus tibi, iuste, senatus,
Dum pia dat populis te duce iura suis.
15 Romani summa quamvis virtute Catonem
Vel summos referant aequiperasse viros,
Laudibus in caelum tollat licet ipsa vetustas,
Quas condis, leges, sancte Lycurge, pias,
Nil tamen ad Medicen, si nunc bene cuncta requiras,
20 Quae bonus Etrusca gessit in urbe Petrus.
Sed, quanquam numero tot sunt ea facta, canentis
Ut neque cuiusquam lingua referre queat,
Non tamen inveniam, te nunc quod dicere possim
Iustius in cives, Petre, dedisse tuos,
25 Quam gravis, heu, furor Etruscam cum perculit urbem,
Impulit et Tuscos cum capere arma patres,
Nanque piis Cosmi monitis instructus et arte
Non sinis, ut gravius crescat in urbe malum.
At, quicunque fuit furiis agitatus iniquis,
30 Instruis hunc patria doctus ab arte virum,
Ne sese velit, heu, miserum patriamque suamque
Perdere nec sanctos eviolare focos.
Quae vox ut primum populi pervenit ad aures,
Sensit et id magnum commonuisse Petrum,
35 Non aliter, quam cum varie spirantibus Euris
Tempestas medio nascitur atra mari;
Si tamen adveniens placidum caput efferat undis
Neptunus, tristes ii posuere minas,
Sic, populus licet ipse faces cepisset et illa,
40 Heu, gravis impulerat quae capere, arma, furor,
Ut natum pietate gravem videre parenti
Persimilem patriae tot bona ferre suae,
Deponunt animos ponuntque ferocia patres
Syllani penitus corda volente Petro.
45 Hinc est concursus Medicas ita factus ad aedes,
Quantus ut extiterit, non memorare queas,
Et procul: O Cosmi stirps o generosa parentis,
Publica cuius et est iuncta salute salus.
Nos tibi confisi venimus precibusque pudicis
50 Oramus, patriam nunc tueare piam,
Haec tibi nanque suos commendat maesta penates
Inque tuos refugit fluctibus acta sinus.
Quam tamen ut possis melius servare, precamur,
Incolumi caveas ut tibi, Petre, prius
55 Hancque prius tutare domum, qua stante putamus
Triste nihil patriae posse nocere tuae.

Hoc cupiunt omnes pueri matresque virique,
Hoc plebs, hoc populus concupit ecce tuus.
Morte tua, nam, si nimis invidiosa fuere
60 Fata quidem nobis invidiosa nimis,
Hoc tamen inde boni capimus, quod stantibus istis
Aedibus et salvis tempus in omne tuis
Civibus aeternum stabunt ea moenia Tuscis,
Stabit et excelsis curia Tusca minis,
65 Hac domus ista trium nam condicione sororum,
Hoc Iovis imperio constabilita fuit,
Audeat, ut, quicunque tuos violare penates
Impius aut Medicas perdere fraude domos,
Publicus hic hostis fiat, penitusque necesse est,
70 Inferat ut patriae bella gerenda suae.
Quos Petrus ut populi monitus accepit et acer
Haec sibi cognovit, quae faciunda forent,
Nec mora; se natosque duos sedemque paternam
Civibus exposuit rite tuenda bonis.
75 Hinc totum sese ad patriam sic vertit et omnes
Sic opibus cives consilioque fovet,
Quattuor ut spatio sedans mala cuncta dierum,
Quod grave pendebat, pelleret urbe nefas.
Quid tamen, heu, patrios Medica virtute penates
80 Hostibus a saevis eripuisse iuvat?
Quid vacuam tanto patriam fecisse periclo,
Arpinas quantum depulit urbe Remi,
Tempore quo dirus docuit Catilina Cethegum,
Arma vel in patrios impia ferre Lares?
85 Consulis egregio, nam, si defensa benigi
Hostibus expulsis munere Roma fuit,
Non tamen extiterit Ciceronis gloria maior,
Quam tua, pro meritis quae tibi, palma, venit.
Nam, procul a patria quanquam bonus ille senator
90 Coniuratorum iussit abire manus,
Civili non id sine sanguine fecit, at ipsos
Auctores scelerum sustulit ante malos.
At contra Medices patria virtute tumultum
Sic bonus Etrusca reppulit urbe gravem,
95 Ut neque sit coeptus quisquam sceleratus haberi,
Ni sibi qui celerem corripuere fugam.
Non laqueo quisquam periit saevaque securi
Percussus Tusca civis in urbe fuit,
Tu solus tu nanque nefas, divine, putasti
100 Civili miseram sanguine tingere humum.
Nec tamen, haec quamvis ita sint, tibi saeva pepercit,
Ausa sed est sanctum tollere, Parca, virum.
Nam, tibi si solum virtus haec una fuisset
Aut tibi si iusti nomina sola forent,

105 Debuit ipsa tamen tantae virtutis alumnum
Lurida mors manibus non temerare suis.
Sed, cum iustitiae divinis artibus olim
Non modo Tyrrhenos viceris usque tuos,
Omnibus at fueris nec non clementior unus,
110 Quos aluit placidis Arnus Etruscus aquis.
Quid tantum morti de te licuisse putemus,
Ut geminas in te laeserit illa deas?
Nam, cum sint hominum propriae patris atque deorum
Virtutes, animo quae placuere tuo,
115 Hae te divinum faciebant rite nec ipsos
Mortales inter connumerandus eras.
Tu tamen emoreris nec te tua maxima virtus
Protegit a nigris, Petre benigne, rogis.
Quid fieri non posse putem, si pectora summi
120 Summa tui, Medices, mors subitura rapit?
Non magis in tota quicquam fuit urbe severum
Te, Petre, dum Medica proteris arte nefas,
Tristior haud alter fuerat, dum legibus aequis
Prospicis, ut sceleris fiat in urbe nihil.
125 Si tamen aspiciant homines, quam semper in omnes
Te mitem patria gesseris arte probos,
Laetius in tota dicent nihil urbe fuisse
Nec mage quod mentes attrahat arte bonas.
Caesaris ingenium laudant si forte, quod acer
130 Omnibus ignovit vel quibus hostis erat,
Tu, Petre, laudandus magis es, quia parcis et illis
Non modo, quos error compulit in furias,
Perdere sed qui te natosque tuosque parabant,
Funditus ac Medicam tollere fraude domum.
135 Haec, ego, qui faciunt, non iam mortalibus ipsis,
Sed similes superis esse putabo deis.
At nihil est tutum morti; nanque optima semper,
Heu, manibus veniunt dilaceranda suis.
Dicite, de tanto, cives, quid principe restat?
Quid, nisi, vix tandem parva quod urna capit?
Quem modo de Latio populi regesque petebant,
Quem modo, quem summi, turba verenda, duces,
Hunc cito de manibus patriae sua fata dolentis
Improba mors rapiens in cava busta trahit.
145 Ergo quis infandum possit narrare dolorem?
Quis possit lachrimas explicuisse graves?
Qui tibi tunc sensus, Lucretia casta, fuerunt,
Qualis in exangui pectore languor erat,
Cum complexa viri corpus frigentis et ora,
150 Heu, cadis in miseros exanimata sinus?
Vix duo, vix maestam fratres — miserabile visu —
Coniuge te poterant vellere casta pio.

Heu, quem non dolor ille tuus, dolor ille coegit
In Lachrimas hominem protinus ire novas?
155 Movisses tigres duras, maestissima coniunx,
Durius aut si quid gignere terra potest.
Tu fatum crudele vocas, crudelia certe
Sidera, quae tantum sustinuere nefas.
Quis dolor, heu, natas tenuit matremque nurumque,
160 Oscula cum lachrimis mixta dedere piis?
Clamor, at, iste domus ubi tam lachrimabilis aures
Venerat ad populi, vox miseranda, tui,
Tam magni subito dederat nova signa doloris,
Maestus ut ad lachrimas moverit ille feras.
165 Urbe quis in Tusca fuit hoc clementior alter?
Hic ait et lachrimis irrigat ora piis.
Ille timens rebus dubiis maestissimus ipsam,
Heu, patriam tanto cive carere dolet
Et dolet et tantos effundit pectore questus,
170 Hoc nihil ut populo tristius esse putes.
Morte nec, heu, Petri cepit minus ille doloris,
Romani quondam quam subiere patres,
Te male cum ternae rapuere, Auguste, sorores,
Civibus extiteras qui decus omne tuis.
175 At mirum potuit, Medices, cui forte videri,
Si modo te populus luxit, amate, tuus,
Te duce cum semper duro defensus ab hoste
Servarit patriae libera iura suae?
Hoc mirum, hoc est, Petre, tuo tot funere reges,
180 Tot lachrimas summos non tenuisse duces.
Nam, qui Bebriacas ductat virtute cohortes,
Qui tenet anguigerae tecta superba domus,
Te, Medices, comitem non aspernatus honestum,
Quas geris in rebus, te caruisse dolet
185 Et dolet et, patres quae damna gravissima Tuscos
Ceperit et populos, edocet inde, tuos,
Hinc rex ille novus, cui paret Apulia, certe
Tristis in interitu dicitur esse tuo,
Non aliter, quam si cari sibi fratris adempti
190 Viderit in nigris membra perusta rogis.
At modo quid referam, Medices, mortalia corda
Interitu graviter congemuisse tuo?
Nos quoque, nos superas etiam tua fata dolentes
Protinus in lachrimas sensimus ire deas.
195 Nam vos, quae Cirrhae tandem iuga summa tenetis,
Vos, quae Castalia membra levatis aqua,
Vos etiam Medicis tam tristi in funere Petri
Tristibus a lachrimis abstinuisse negant,
Et merito, quis enim tota fuit alter in urbe,
200 Qui mage promeritis praemia digna daret,

Maiori aut doctos qui sit dignatus honore,
Qui magis aut summis faverit ingeniis?
O spem fallacem, tuto quae perfida portu
Saepe ruens miseris irrita vota facit.
Sperabant cives quot, dum tibi vita manebat,
Te duce vel summum posse tenere gradum?
Magnorum iusta docti quot sorte laborum,
Heu, sibi credebant praemia certa dari?
In luctu nunc ecce gravi lachrimisque senescunt
Nec sine te quisquam vivere posse putat.
Quin etiam tristes, tua maxima numina, Musae,
Hactenus Etruscas quae coluere domos,
Quaerere nunc alias sedes voluisse putantur,
Amplius et Tuscum nolle habitare nemus.
Et facerent gravibus nimirum casibus actae,
Publica ne videant orba parente suo,
Has natus nisi, Petre, tuus monuisset, ut illam
Incolerent sedem, quam tenuere diu.
Nam, videt has ubi forte deas Laurentius acer
Etruscis iam iam cedere limitibus,
Has verbis revocans nimirum hortatur amicis,
Hortos ut teneant, quos habuere prius,
Ut sacrum, Pario qui constat marmore, fontem
Hauriat, ut quondam, quaeque Camena, domi,
Ne dubitent, ut morte patris linquantur inanes,
Sedibus aut careant, quas dedit ante pater,
His ducibus nanque ille deis tua damna rependet
Filius et quod res publica triste tulit,
Ut, Petre, quod fueras Cosmo, divine, parenti
Filius, hoc itidem fiat et ipse tibi.

25. *Ad Laurentium Medicen.*

Ut Cosmus Medices fuerat pater urbis Etruscae
Utque Fluentinas texit ab hoste domos,
Ut Petrus hinc summi tenuit praecepta parentis,
Dum Lydos Medica temperat arte Lares,
Sic es virtutes tu nunc utriusque secutus
Sicque patrem solers, sic imitatus avum,
Ut, quot, Laurenti, laudes adiere vel ambo,
Unus tot factis promereare tuis.

26. *Ad Laurentium Medicen de Lucretia eius filia.*

Credimus historiae si quid, Lucretia priscis
Exemplar summi casta pudoris erat;
Temporibus nostris etiam Lucretia mater
Una pudicitiae gloria summa fuit.
At modo, cum nuper Romano a sanguine creta
Sitque tuo, Medices, orta puella tibi,

Antiqui referat quae nomina sancta pudoris,
Quae simul et matris nomina sacra tuae,
Ut puto, si vitae non fila abrupta trahantur,
Castior una tibi nata duabus erit.

27. *Ad Laurentium Medicen*
de legatione sua ad pontificem maximum.

Qui petis auspiciis Romam maioribus urbem,
I, Medices, patrios defer in astra Lares,
I modo, sed nostri nusquam tibi cura recedat,
Sic, quodcunque velis, dent pia fata tibi,
Nam, nisi prospicias, veluti cupis, optime, nobis,
Ni tuus aeternum nos tueatur amor,
Non queat aut quisquam nostrum bene fungier aura,
Non queat aut rebus consuluisse suis.

28. *Ad Laurentium Medicen.*

Si tibi Pierides curae, si Phoebus Apollo,
Es quibus Etrusca solus in urbe pater,
Te precor, o vates vatum, tibi cura supersit
Musarum, veluti sic tua turba sumus.

29. *Ad Laurentium Medicen.*

Mirantur multi, cur vel pater ante vel ipse,
Par fuit ingenio cui grave nomen, avus
Haud mihi pauperiem mites duxere levandam,
Qua nimis infelix tempora longa premor,
Praesertim, cum, quae fuerim meditatus in illos,
Haec utrisque viris grata fuisse ferant.
Ast ego nil miror, cum sim mihi conscius ipsi,
Quam fuit, heu, rebus fors inimica meis,
Quam nulli quondam fuit exuperanda tuorum,
Optarint quamvis vel bona cuncta mihi,
Durities fati et quoniam mihi tanta maligni,
Tam fuit et nostris invidiosa bonis,
Posset ut illa gravis Medices utrosque benignos
Vincere, ne dederint, quae cupiere, bona.
At, cum pro summis, Laurenti maxime rerum,
Summa tuus meritis sidera tangat apex,
Ut modo non homines tantum superasse vel omnes
Dicaris, pladicis quos tulit Arnus aquis,
Sed quoque vel supero par nunc habeare tonanti,
Sidera cui parent, cui mare, terra, polus,
Cum sapiens Parcas et inexorabile fatum
Subiicias pedibus, vir memorande, tuis,
Ut neque, fatorum, fiant, quae postulet ordo,
Amplius, haec sed, quae sint tibi visa prius.

25 En, age, ne dubita sortem superare malignam,
Victori victas en dabit illa manus.
Annue tu tantum; duce te bona cuncta sequentur,
Censueris monitis quae mihi danda tuis.

30. *Ad Laurentium Medicen.*

Cum peterem summum, Medices, tibi fisus honorem,
Sis utinam cuius tu dator usque tuis,
In me quam bonus es, licuit spectare volenti,
Mens bona quamque tibi, quam bonus est animus.
5 Nam mihi respondes haec te, quae forte petissem,
Facturum verbis non modo cuncta bonis,
Utile sed censes addendum mitis honesto,
Socratis ut ratio te docet arte gravis,
Quem cum forte sequi divino ex ore locutum,
10 Rebus ut in reliquis, hac ita parte velis,
En, age, sic semper tibi sit pulcherrima proles,
Sic videas natos tempora longa senes,
Sic leo Tyrrhenus semper tua iussa facessat
Teque volens patriae dictitet usque patrem.
15 Incipe, sive prius dandum mihi ducis honestum,
Utile seu potius praeposuisse iuvat;
Incipe, nam laus magna tibi tribuetur, amici
Si dum tam fidi causa salutis eris.
Diceris fati sortem superasse malignam,
20 Vix ea cum summo sit superanda Iovi.

31. *Ad Laurentium Medicen*
de adventu Elionorae regis Apuliae filiae.

Aeneam velut Anchises Simoentis ad undam
Protulit, unde Phrygum surgat in astra genus,
Ut domus Aeneadum Latias penetraret in oras,
Conderet atque tuos longior, Alba, Lares,
5 Sic hos divina Medices sibi sorte penates
Cosmus inauratos condidit ante pater,
Ut genus inde suum Tuscas bene temperet urbes
Legibus et patrias ut regat arte domos
Utque sit hospitium regum strips tanta novorum,
10 Ut domus haec ducibus sit decus una bonis.
Iulius hinc rursus Medica viget alter in aede,
Nomina qui referat, pulcher Iule, tua.
Hinc rursus lauri silvam Laurentius heros
Plantat, ut haec ramos tendat in astra suos,
15 Quae tamen in nullum iam desinat inde Neronem,
Dum malus in scelerum rex genus omne ruit,
Sed quae perpetuos vireat mansura per annos,
Laurenti, Tuscae dum pater urbis eris,

Dum genus Etrusca perstabit in arce tuorum,
20 Dum dabit et patriae candida iura tuae.

32. *Ad Laurentium Medicen.*

Tam bene conveniunt divino carmine, vates,
Haec tibi, Laurenti, quae bona summa canis,
Quam bene, qui summas rerum pertractat habenas,
De summo summus disputat ille bono.

33. *Ad Laurentium Medicen.*

Mittimus ista tibi Troia ex ardente recepta,
Dum nos infidi iactitat unda maris.
Si quando Latium dabitur portusve quietus,
Ut duce te iam nunc cernitur ille mihi,
5 Tunc ea dona tibi, quae pax gerit aurea secum
Quaeve quies, Medices, continuata dabo.

CORRIGENDA

Pag.	*21.*	*v.*	*10.*	*pro*	50	*lege*	30	
„	*26.*	„	*98.*	*el.*	Prisca	„	prisca	
„	*40.*	„	*8.*		Amergium	„	Amerigum	
„	*48.*	„	*124.*	*el.*	tibi sibis	„	sibi	
„	*62.*	„	*7.*	„	Disendui	„	Dicendus	
„	*70.*	„	*33.*	„	austrifer	„	astriferi	
„	*71.*	„	*35.*	„	atqua	„	atque	
„	*75.*	„	*24.*		Iohannem	„	Ad Iohannem	

INDEX NOMINUM.

Achates 2: 39, 65.
Achelous 2: 43, 51.
Achilles 2: 52, 7.
Admetus 1: 12, 16.
Adonis 1: 16, 60.
Aeneadae 3: 31, 3.
Aeneas (v. Phrygius dux. — parens) 1: 22, 3. 2: 3, 35; 39, 66. 3: 31, 1.
Aeneas Silvius Piccolomineus (v. Pius II. papa) 2: 3, t 1 8 65 91 98 101 103 128 131.
Aetna 1: 4, 18.
Aetnaei labores 1: 4, 57.
Aemilius Paullus, L. 3: 3, 33.
Aganippea aqua 3: 2, 58.
Agathon 2: 41, 73.
Alba, v. Albitia, Albiera s. Alba.
Alba Longa 3: 31, 4.
Albiera, v. Albitia, Albiera s. Alba.
Albitia, Albiera s. Alba 1: 4, 21 34 36 64; 5, t 21; 6, t 30; 7, 21; 10, t 54; 13, t 1; 24, t 42; 25, t 4; 26, 14; 27, t 15 20; 28, 45 54; 29, t 8 9 15; 30, 2; 31, t 1; 32, 5; 33, t; 34, 1; 36, 1; 37, 1; 40, 1; 41, 3.
Albitium decus 1: 31, 2. — genus 1: 29, 49; 32, 3.
Alcinous 2: 36, 8.
Allius, Peregrinus 2: 27, t 1.
Almeo 1: 16, 51.
Ammon 2: 39, 131. 3: 4, 183.
Amor 1: 4, 1; 5, 13 20; 6, 11 21; 7, 3 6 20; 8, 6 27; 10, 8-9 30 42 80; 12, 7 14-5 22; 14, 15-6; 15, 11; 16, 9 19 23 25 38 62; 22, 12 32; 23, 2; 24, 2; 26, 6 15 18.
Anaxagoras 3: 7, 51.
Anchises 3: 31, 1.
Andreas, pater Antonii 2: 52, t.
Anglaria (v. Anglaris) vallis 2: 4, 91.
Anglariensis, Iacobus 2: 30, t.
Anglaris (v. Anglaria) vallis 3: 11, 203.
Anna s. Annalena 1: 28, t 4 21 37 52 55 61.
Annalena, v. Anna
Ansia 1: 28, 56. — 3: 1, 119.
Antaeus 2: 43, 71 74.
Antella 2: 47, 5.
Antella, Philippus 2: 47, t 5.
Antonius antistes Florentinus 2: 34, t.
Antonius, filius Andreae 2: 52, t 11 73.
Aonius amnis 2: 3, 66. — chorus 1: 8, 4. 3: 3, 106. — vertex 3: 8, 31. Aonii honores 2: 3, 99. — modi 1: 21, 18. 2: 3, 12. Aoniae deae (v. Musae) 1: 23, 10. 2: 49, 2; 52, 40. 3: 2, 20; 6, 2. — sorores (v. Musae) 3: 2. 34.
Apollinea lyra 2: 3, 14. Apollineum decus 1: 21, 64. Apollinei chori 2: 13, 56. — habitus 3: 19, 17. Apollineae artes 3: 1, 25. — comae 1: 29, 78.
Apollo, Phoebus (v. Castalius deus, Clarius deus, Cynthius) 1: 4, 47; 8, 19 26-7; 10, 9 71 77 82; 12, 16; 16, 3 40 53; 17, 17; 21, 4 15 63; 24, 19 22. 2: 1, 7; 3, 26-7 49 65; 4, 1-2; 6, 11 19 *post* 20; 7, 1; 13, 28; 15, 3; 17, 1; 20, t 1 8 13; 26, 4 7; 39, 125; 41, 2 44; 42, 76 105 124, 44, 4; 45, 9 (bis); 52, 41. 3: 1, 11 14 28; 2, 56; 3, 119; 4, 96 211; 6, 69; 8, 1 2 43 87 (bis); 11, 11; 18, 5; 19, 5 21; 28, 1.
Appulus hostis 3; 11, 272.
Apulia 3: 7, 75; 24, 187; 31,
Aquilones 1: 5, 5.
Arabs 3: 2, 10; 8, 3.
Arago 3: 11, 219.
Aragonia, Alphonsus de 2: 40, 23. —, Elionora — 3: 31, t. —, Iohannes — 2: 40, t.
Arcadici Lares 2: 39, 32.
Arcturus 1: 5, 15.
Aricina 3: 6, 69.
Ariston 2: 41, 3.
Aristoteles 2: 4, 17; 41, 81.
Arnus 1: 27, 36; 28, 8; 29, 1 3: 3, 79; 4, 42; 8, 75; 24, 110; 29, 18.
Arpinas (v. Cicero) 3: 24, 82.
Asia 2: 42, 170.
Astraea 3: 11, 347.
Athenae 3: 6, 53; 7, 63.
Atlas 3: 4, 2.
Attalicus torus 2: 36, 6.
Attendolus 2: 39, 109.
Augustus Caesar, rex 2: 44, 5. 3: 11, 352; 24, 173.
Aurora 1: 10, 27. 3: 3, 145.
Ausonius Remus 3: 6, 64. Ausoniae domus 2: 39, 160. — urbes 2: 39, 117.
Austri 1: 14, 7.
Bacchus (v. Liber) 2: 4, 36.
Baroncius, Antonius 2: 49, t 4.
Bebriacus dux (v. Philippus dux Insubrium) 3: 11, 233. — Philippus 2: 39, 145. Bebriaci vates 3: 11, 317. — viri 2: 39, 82. Bebriacae cohortes 3: 24, 181.
Bellerophon 1: 22, 7.
Bellerophonteae cohortes 3: 11, 321.
Bellona 3: 4, 46.
Boccus, Dominicus, iureconsultus 2: 31, 19.
Boreas 1: 5, 17.
Braccius, Alexander 2: 36, t 5 7; 52, t 9.
Britanni 2: 42, 135.

Busiris 2: 43, 64.
Caccia, Michael 1: 17, t 2.
Cacus 2: 43, 84.
Caesar, Iulius 2: 42, 133 139-40. 3: 11, 325; 24, 129; 31, 11.
Caesareum nomen 2: 4, 107. Caesareae vires 3: 11, 247.
Calaber hostis 3: 11, 209. — princeps (v. Aragonia, Iohannes de) 2: 40, 1. — tyrannus 3: 11, 223. Calabri 2: 40, 21.
Calabria 2: 40, t.
Calliope s. Calliopea 2: 3, 4 25 40 78 102; 4, 79; 13, 10; 23, 12; 42, 2; 46, 6. 3: 1, 14; 2, 24; 3, 60; 4, 4.
Camena 1: 23, 34. 2: 2, 10; 3 38; 28, 3. 3: 3, 154; 8, 42; 24, 224. Camenae 1: 23, 11. 3: 3, 101; 11, 9 305.
Campagnus, Petrus 1: 19, t 6.
Capitolinus Iuppiter 2: 42, 134. Capitolina domus 2: 3, 140.
Casentinum 3: 2, 46
Cassandra 1: 29, 27. 2: 20, 1 5.
Castalius deus (v. Apollo) 3: 11, 320. — fons 1: 24, 25. Castalia aqua 3: 24, 196. Castalium nemus 2: 28, 2. — nomen 3: 2, 48. Castaliae nymphae 1: 22, 27. — orae 1: 23, 5. — puellae (v. Musae) 1: 17, 15. — undae 2: 3, 55.
Castilionensis, Franciscus 2: 15, t.
Castor 2: 21, 9; 30, 7.
Catilina 3: 24, 83.
Cato 3: 7, 51; 24, 15.
Cavalcantes, Iohannes 1: 20, t.
Cecropiae Athenae 3: 7, 63.
Celaeno 2: 38, 24.
Cenninus, Petrus 2: 19, t 1.
Centauri 2: 43, 91.
Cerberus 1: 29, 23. 2: 43, 95.
Ceres 3: 4, 18.
Cethegus 3: 24, 83.
Charites 1: 4, 39; 29, 89.
Chimaera 1: 22, 7.
Chiron 1: 10, 91.
Christicoli viri 2: 4, 100.
Christifera crux 2: 6, 6. — dea (Maria) 2: 4, 86.
Christus 2: 3, 136; 4, 116; 6, 70.
Cicero (v. Arpinas) 3: 1, 23; 2, 65; 11, 375; 24, 87.
Circe 2: 30, 20.
Cirrha 1: 24, 28. 3: 2, 57; 3, 109; 24, 195.
Cirrhaeus gurges 2: 3, 17. Cirrhaeum numen 2: 6, 18. Cirrhaeae orae 2: 49, 1. 3: 11, 309.
Clarius Apollo 1: 16, 3. — deus (v. Apollo) 2: 40, 6.
Clarix 3: 23, 2.
Claudia Quinta 1: 29, 98.
Clotho 1: 29, 39. 3: 7, 31.
Concordia 3: 17, 25.
Corsinus, Amerigus 1: 8, t. 2: 18, t; 29, t. — Philippus 2: 18, t.
Crassus 3: 3, 21.
Cumaea vates 1: 16, 12.
Cupidineus furor 1: 4, 4; 16, 45. Cupidinea fax 1: 6, 9. Cupidineum certamen 2: 41, 5. — iugum 1: 21, 52. Cupidineae faces 1: 16, 64. — sagittae 1: 25, 5.
Cupido 1: 7, t; 10, 79; 12, 3; 21, 39; 24, 3 8 23. 2: 15, 7. Cupidines 1: 17, 10; 29, 18. 3: 18, 10.
Cyclades 2: 4, 103.
Cyllenius (v. Mercurius) 2: 39, 115. 3: 4, 128. Cyllenia proles (v. Mercurius) 3: 4, 103.
Cynthius (v. Apollo) 2: 48, 1. Cynthia (v. Diana) 1: 21, 38. 2: 4, 28.
Cypria (v. Venus) 2: 35, 2.
Cytherea (v. Venus) 1: 10, 59 69; 26, 28; 27, 42.
Daphnaeum theatrum 3: 2, 15.
Daphne 1: 10, 11; 16, 55. 2: 20, 8.
Decus 1: 29, 90.
Delia 1: 10, 38.
Delphi 3: 3, 65.
Diana (v. Cynthia, Phoebe) 1: 17, 7; 21, 61; 29, 3.
Dictaeus princeps (v Iuppiter) 3: 22, 1.
Diomedes 2: 43, 39.
Dis 2: 43, 93. 3: 11, 389.
Discordia 3: 4, 45
Dulichia 1: 22, 2. 2: 30, 19.
Egeria 3: 6, 72.
Elysium iter 1: 29, 86. Elysii campi 2: 22, 10.
Enceladus 1: 4, 18.
Ennius 2: 22, 8.
Eridanus 3: 8, 76.
Erigone 3: 17, 24.
Estensis, Borsius 2: 42, t 9 195; 43, 3 13. — Hercules (v. Estensis princeps, Herculeus princeps) 2: 43, t 6 90. Estenses 2: 43, 94.
Estensis domus 2: 42, 10. — palma 2: 43, 55. — princeps (v. Estensis, Hercules) 2: 44, 7. — triumphus 2: 43, 69. Estenses urbes 2: 43, 33 48.
Etruscus Arnus 1: 27, 36. 3: 24, 110. — leo 3: 1, 52; 11, 71, 87. — orbis 3: 14, 3. — senatus 3. 1, 73. Etrusca arx 3: 31, 19. — urbs 2: 6, 1; 52, 72. 3: 7, 77; 11, 286 374; 15, 3; 24, 11 20 25 94; 25, 1; 28, 2. Etrusci agri 3: 19, 6. — cives 3: 11, 234. — Lares 3: 17, 20. — limites 3: 24, 220. — Quirites 2: 39, 127. 3: 1, 59. Etruscae domus 1: 29, 2. 3: 11, 78; 17, 28; 24, 212. — nurus 1: 29, 22. — orae 3: 22, 9. — urbes 2: 39, 165. 3: 4, 224; 11, 215.
Euander 2: 39, 30.
Eugenius IV. papa 2: 4, 53 74; 6, 38.
Eurotas 3: 2, 54.

Eurus 2; 37, 3. Euri 2: 43, 50. 3: 24, 35.
Fesulus vertex 3: 7, 101. Fesula urbs 3: 11, 183. Fesulae columnae 1: 28, 9. 3: 11, 289. — domus 3: 11, 166 396.
Ficinus, Marsilius 1: 4, t 17 41. 2: 22, t 13; 37, t; 41, t 85.
Fides 1: 29, 91. 2: 39, 155. 3: 17, 11.
Florens (v. Florentinus) urbs 3: 4, 175.
Florentia 2: 30, 13; 47, 1. 3: 4, 204 230; 8, 73.
Florentinus (v. Florens, Fluentina, Lydus, Syllanus, Tuscus, Tyrrhenus) antistes Antonius 2: 34, t. — — Philippus Antella 2: 47, t. Florentina urbs 2: 4, 57. Florentini duces 2: 4, 84. — iuvenes 1: 21, 55. — proceres 3: 11, 401. — senes 1: 21, 55. Florentinae habenae 3: 7, 135. — puellae 1: 26, 29.
Fluentina (v. Florentinus) urbs 2: 44, 1. Fluentini 3: 3, 56. — Lares 3: 1, 124. Fluentinae domus 3: 25, 2. — habenae 3: 1, 41; 3, 135. — puellae 1: 29, 7.
Furiae 1: 2, 14. 2: 38, 8.
Gallettus, Dominicus 2: 28, t.
Gallia 2: 42, 188. 3: 3, 49.
Gallica regna 3: 11, 258.
Gallus, Cornelius 1: 19, 7.
Gallus Philippus 2: 39, 39. 3: 11, 235. Galli 2: 42, 137.
Geryon 2: 43, 83.
Getica arva 2: 4, 87.
Gigantes 2: 42, 5.
Gorgoneus caballus 3: 2, 47. — lacus 2: 19, 6.
Gradivus (v. Mars) 1: 10, 65. 2: 4, 87. 3: 19, 13.
Graecia 2: 3, 20; 41, 48. 3: 3, 66.
Graium nomen 2: 6, 55. 3: 3, 69. Graii duces 2: 42, 168. Graiae urbes 2: 41, 47.
Guidectus, Laurentius 2: 26, t 3.
Haemonius lacus 3: 2, 52. Haemonium nemus 3: 8, 32.
Haemus 3: 8, 4.
Harpyia 2: 38, 17.
Hebrus 2: 37, 3.
Hecuba 1: 26, 49; 29, 28.
Helena s. Helene (v. Tyndaris) 1: 4, 65; 26, 45.
Helicon 2: 19, 5. 3: 11, 322.
Heliconia Tempe 3: 2, 53.
Hercules 2: 43, 18 48 52 55 71 79 88 110; 52, 4.
Herculeus labor 2: 43, 57. — leo 3: 11, 30. — princeps (v. Estensis, Hercules) 2: 43, 10. Herculea frons 3: 3, 1. Herculeum caput 2: 43, 101. — robur 2: 43, 14 34. Herculeae vires 2: 43, 30 37 63 68.
Hesperia 2: 42, 188.
Hesperius orbis 2: 42, 68.
Homerus (v. Maeonius, — senex, Smyrnaeus vates) 1: 17, 25. 2: 22, 3; 28, 5; 30, 18.
Honos 3: 17, 9.
Hyperion 1: 25, 19.
Ianus 2: 39, 155.
Icarea ars 1: 22, 6; 29, 92.
Idaea vallis 1: 26, 34.
Idalii luci 1: 17, 9. Idaliae matres 1: 21, 37.
India 3: 2, 9.
Indica tellus 1: 4, 35. 3: 8, 3.
Insuber Philippus 3: 11, 193 257.
Iohannes de Aragonia, v. Aragonia, Iohannes de.
Iris 2: 4, 30.
Itala terra 2: 3, 134. Itali fines 2: 41, 49. — viri 3: 11, 282.
Italia 3: 5, 1.
Iulus (Ascanius) 1: 4, 50. 3: 8, 61; 31, 12.
Iuno 1: 26, 47.
Iuppiter (v. Dictaeus princeps) 1: 2, 13; 3, 52; 16, 2 47; 17, 12; 21, 24. 2: 3, 36 57 60 69 89 90 98 106 109 117; 4, 39 42; 10, 2; 13, 29; 31, 1; 38, 3; 39, 2 131 186; 41, 84; 42, 78 134; 52, 65. 3: 3, 143; 4, 31 97 135 143 153, 6, 38 56; 7, 42; 8, 13; 11, 49 110; 16; 11; 24, 66; 30, 20.
Lacaena Tyndaris 1: 17, 23.
Lachesis 2: 52, 74.
Laelius 2: 36, 12; 52, 5.
Laertiades (v. Ulixes) 2: 30, 17.
Landinus, Albertus 2: 13, t 33. —, Christophorus 2: 13, t 35 47.
Lar 3: 11, 335. Lares 1: 2, 4; 5, 4; 16, 52; 27, 12. 2: 30, 14; 39, 32; 42, 132; 45, 4; 52, 62. 3: 1, 36 124; 7, 32; 11, 178 193 238 410; 17, 20; 19, 8; 24, 84; 25, 4; 27, 2; 31, 4.
Latina lingua 3: 1, 24. Latini 2: 50, 3, Latina regna 2: 39, 30.
Latium 2: 3, 129; 42, 11 166. 3: 1, 21; 4, 95 118 185; 17, 1; 24, 141; 33, 3.
Latius orbis 2: 42, 135. 3: 4, 157. — Quirinus 3: 7, 131. Latia urbs 3: 17, 5. Latium nomen 3: 4, 68. — plectrum 2: 46, 5. Latii 3: 4, 76. — agri 2: 39, 161. — duces 2: 39, 144. — fines 3: 4, 101. — patres 2: 3, 122. — viri 2: 40, 2; 50, 4. 3: 11, 318. Latiae matres 3: 22, 8. — orae 2: 4, 71; 39, 33. 3: 4, 182; 6, 1; 11, 331; 31, 3. — sedes 2: 39, 66. — terrae 3: 4, 165.
Laura (Petracae) 1: 9, t.
Laurentius sanctus 3: 3, 82; 11, 295.
Leda 1: 16, 48.
Lemnius (v. Vulcanus) 1: 10, 74.
Lernaea palus 2: 43, 56.
Lesboum carmen 2: 19, 10.
Lethaeum (flumen) 1: 20, 15. — flumen 3: 4, 172.
Liber (v. Bacchus) 3: 4, 20.

Liburnae urbes 2: 43, 9.
Ligures 3: 11, 243.
Lippius, Laurentius 2: 14, t 3.
Lippus 2: 14, 1 5.
Lisia 1: 19, 1 8.
Livor 2: 17, 3; 39, 77.
Lucensis, Antonius, medicus 2: 48, t 3.
Lucifer 1: 4, 29. 2: 4, 26. Luciferi 1: 21, 50.
Lucretia (uxor Tarquinii Collatini) 2: 13, 37. 3: 22, 7 13; 26, 1.
Lucretia (uxor Petri Medicis) 3: 24, 147. — (filia Laurentii Medicis) 3: 26, t 3.
Ludovicus patriarcha 2: 4, 1; 5, t.
Lusitanus dux 3: 11, 210. Lusitani viri 2: 40, 22.
Lyciae sortes 1: 16, 3.
Lycoris 1: 19, 7.
Lycurgus 3: 6, 51; 24, 18.
Lydia 3: 5, 8. — gloria 3: 3, 137.
Lydus (v. Florentinus) leo 2: 4, 81; 39, 122. 3: 11, 237 Lydi 2: 23, 3. 3: 11, 82 172 245; 19, 24. — cives 3: 11, 197; 15, 1. — Lares 3: 25, 4. — leones 3: 8, 77. — patres 3: 1, 74. — penates 3: 11, 65. — Quirites 3: 1, 9; 11, 231. Lydae urbes 2: 1, 15.
Macedae 2: 42, 196.
Maecenas 2: 44, 6. 3: 2, 59; 3, 107 115; 6, 18-20; 8, 28.
Maenaliae orae 2: 43, 45.
Maeonius (v. Homerus) 1: 17, 21. — senex 2: 46, 2.
Maia 2: 3, 59.
Mantua 2: 3, 135.
Marcellus 3: 17, 10.
Marcus euangelista 3: 3, 83, 11, 283.
Maria, v. Christifera dea.
Mars (v. Gradivus) 1: 6, 3; 10, 59 62 64 72. 2: 4, 103; 6, 59 61; 39, 150 156 176; 43, 25; 52, 28. 3: 1, 54 58 100; 4, 17; 6, 67; 11, 226 274; 19, 7.
Martellus, Bracciius 1: 26, t 1 25.
Martia lupa 2: 3, 128. — Roma 2: 3, 132. Martia castra 2: 39, 55. — classica 3: 4, 21.
Martiopinus, Carolus s. Karolus 2: 46, t 6.
Mausoleum 3: 11, 368.
Medica aedes 3: 31, 11. ars 3: 3, 141; 11, 184; 24, 122; 25, 4 domus 3: 1, 3; 3, 76 124 158; 6, 74; 8, 62 80; 9, 2; 11, 270; 17, 36; 24 2 134. — moles 3: 1, 15. — virtus 3: 11, 223; 24, 79. Medici Lares 3: 7, 32. Medicae aedes 3: 24, 45. — domus 3: 24, 68. — moles 2: 40, 9.
Medices (sing.) 1: 2, 16. 3: 2, 74; 3, 149; 8, 17 25. —, Cosmus 2: 39, t 125 135 169 172 179 190; 40, 13; 3: 2, 2; 3, t 17 20 28 37 45 51 61 63 67 69 72 74 85 96 133; 4, t 1 11 68 74 86 93 96 114 122 140 149 153-4 156 163 167 170 175 190 194 197 209 216 223 228; 5, t 5 12; 6, t 5 8 11 25 28 39 45 57; 7, t 2 19 27 29 37 39 49 54 59; 8, 15; 9, t 3; 11, t 5 13 17 32 41 95 97 99 112 126 135 137 139 141 151 162 171 177 189 197 208 217 227 229 253 264 273 285 292 303 310-1 316 329 333 335 343 349 351 355 359 363 370 387 405; 12, t 1 3, 13, 1-2 4; 14, 3; 15, 1; 16, t 1 4; 24, t 4 10 27 47 229; 25, 1; 31, 5-6. —, Iohannes (filius Cosmi) 3: 6, t 4 7; 7, t 33 109 121 137 145 149. —, Iulianus 3: 8, t 8 48. —, Laurentius (frater Cosmi) 3: 9, t 2. —, Laurentius (filius Petri) 1: 1, 1 14 21 25; 2, 7; 3, t 10 12; 9, t. 2: 1, 15 21; 2, t 4 11. 3: 1, 7 13 17 33 38 40 49 53 91 112-3 123; 3, t 129 157; 8, 67; 10, t 6; 18, t 4 13 15; 19, t 13; 21, t 1; 22, t 17 23; 23 t 2; 24, 219; 25, t 7; 26, t 6; 27, t 2; 28, 1; 29, t 15; 30, t 1; 31, t 13 18; 32, t 2; 33, t 6. —, Petrus 2: 40, 13. 3: 2, t 35 45 60 63 69; 3, t 98 105 109 113 118 133 140; 6, 12 26 30 41; 7, 131 135; 8, 11 14 21 31 37 42 55 83; 10, 1; 11, 46 64 275 277 384; 17, t 19-20, 22 26 30 34; 20, t 1 4; 24, t 9 13 19-20 24 34 44 54 71 93 118 131 171 175 179 183 191 197 217 229; 25, 3. Medices (plur.) 1: 1, 25. 2: 1, 11 17; 39, 199. 3: 2, 4; 3, 5 155; 6, 1 21 24; 7, 11; 8, 38; 11, 187 255 300 337; 29, 13.
Megaera 2: 38, 8.
Mercurius (v. Cyllenius, Cyllenia proles) 1: 16, 49. 2: 13, 39; 39, 185. 3: 6, 38.
Minerva (v. Pallas) 2: 39, 12.
Mithridates 2: 41, 83.
Mors 2: 13, 32.
Mucellum 3: 2, 1; 11, 197.
Musa 1: 1, 11; 11, 9; 16, 14; 30, t 3. 2: 2, 16; 3, 7; 5, 1; 12, 10; 14, 4; 19, 12; 29, 3; 30, 18; 40, 3; 42, 4; 43, 1 5 18 87; 45, 1 12. 3: 3, 59; 6, 6; 10, 1. Musae (v. Aoniae deae, — sorores, Castaliae puellae, Pierides) 1: 7, 23; 8, 8 19: 17, 18; 23, t 15; 24, 19 24. 2: 1, 7; 3, 11 64; 13, 48; 16, 1; 21, 15; 35, 1; 39, 17; 44, 3; 52, 41. 3: 1, 18; 2, 49; 3, 29 104 110; 6, 13 15 69; 8, 9 30 37; 11, 113 326; 28, 4.
Naldis, Naldus de 1: 10, 55; 16, 64. 2: 6, 21 66. 3: 3, 10 62; 8, 45.
Neapolis, v. Parthenope.
Nemaeus leo 2: 43, 78.
Neptunus 2: 16, 3. 3: 24, 38.
Nero 3: 31, 15.
Nessus 2: 43, 87.
Nestor 1: 16, 11. 2: 4, 121.
Niger, Petrus 1: 18, t.
Nilus 2: 24, 6; 41, 54. 3: 4, 180; 8, 76.

Notus 2: 4, 29; 40, 16. Noti 1: 29, 58. 2: 4, 76.
Numa Pompilius 3: 6, 66 68.
Nysa 1: 23, 21. 3: 11, 113.
Oceanus 3: 7, 128.
Olympus 2: 43, 105. 3: 4, 130 234.
Orestes 2: 52, 1.
Orpheus 2: 3, 25 43; 13, 15 36; 22, 2; 37, t 1; 40, 25.
Ossa 2: 42, 6.
Pactius, Renatus 1: 15, t. 2: 35, t.
Pactolus 3: 5, 7.
Pallas (v. Minerva) 1: 4, 45; 16, 39; 17, 11; 29, 20. 2: 39, 1 50. 3: 4, 97 103; 18, 7.
Pandolfinus, Iannoctius, eques 2: 51, t 1.
Panes 1: 13, 7.
Pansa 3: 3, 36.
Panthoides 2: 22, 1.
Parca 1: 27, 17 31 49 56; 29, 34 44 79. 2: 13, 2 18; 39, 194; 46, 2; 52, 46. 3: 4, 164; 7, 34 39 47 82; 11, 138; 24, 4 102. Parcae 1: 7, 17; 29, 11. 2: 6, 67; 13, 12. 3: 3, 71; 11, 47 107; 29, 21.
Parium marmor 2: 50, 1. 3: 2, 40; 8, 33; 24, 223. Parii lapides 1: 21, 54.
Paris (v. Phrygius iudex) 1: 26, 34 45 52.
Parnasia laurus 2: 46, 1. — rupes 1: 24, 25. 3: 2, 49.
Parnasus 2: 3, 75.
Parrhasium mare 3: 3, 80
Parthenope (Neapolis) 3: 7, 76.
Parthus 1: 7, 5. Parthi 3: 4, 112.
Patavium 2: 6, 72.
Patroclos 2: 52, 7.
Pax 2: 39, 159. 3: 17, 7 28.
Pelasgi 1: 26, 47. Pelasgae sedes 3: 2, 51. Pelasga scripta 2: 50, 4.
Pelius 2: 42, 6.
Pelliacus (Alexander Magnus) 2: 42, 171.
Peneia Daphne 1: 16, 55.
Permessus 2: 4, 4. 3: 3, 105.
Persae sacerdotes 2: 41, 79.
Perses (Persa) 3: 4, 111.
Persia 3: 3, 22.
Persica regna 3: 5, 10.
Persis (Perses) rex Macedoniae 3: 3, 34.
Petrarca 1: 9, t; 15, t; 20, t.
Petrides 3: 2, 69.
Petrus apostolus 2: 4, 124; 6, 38.
Phaethontiades 1: 26, 19; 28, 49.
Philaris 1: 10, 90.
Philippus dux Insubrium (v. Bebriacus dux) 2: 39, 39 67 81 97 105 145. 3: 11, 193 235 257.
Philoctetes 2: 52, 3.
Phineus 2: 38, 23.
Phoceus (Pylades) 2: 52, 1.
Phoebe (v. Diana) 1: 21, 67.
Phoebea rupes 2: 3, 29.
Phrixeum signum 1: 10, 62.
Phryges 3: 31, 2.
Phrygius Aeneas 2: 39, 65. — dux (v. Aeneas) 2: 3. 20; 29, 8. — galerus 2: 25, 1. — iudex (v. Paris) 1: 26, 42. — parens (v. Aeneas) 2: 38, 23. Phrygiae pugnae 3: 3, 13.
Picciniinus, Nicolaus 2: 4, 81. 3: 11, 195 203.
Piccolomineus, Aeneas Silvius, v. Aeneas Silvius.
Picens 2: 39, 73.
Picenum solum 2: 4, 98.
Pieria ars 2: 39, 47. — frons 3: 2, 32. — mens 2: 43, 2. Pierium antrum 3: 3, 127. — lac 2: 13, 51. — os 3: 2, 61. Pieriae artes 2, 23, 11. — mentes 3: 11, 319.
Pierides (v. Musae) 1: 8, 23; 17, 18; 23, 1; 24, 22 27. 2: 3, 6 76; 4, 3; 13, 45; 15, 3; 35, 4; 52, 35. 3: 1, 11 20; 2, 67; 8. 29 47; 19, 1; 28, 1.
Pietas 1: 29, 89.
Pindus 3: 2, 53.
Pius II. papa (v. Aeneas Silvius Piccolomineus) 2: 3, t 1 8 26 58 93 98 116 131.
Plato 2: 41, t 11 61 85.
Poggius 2: 50, t 2.
Pollio 2: 44, 6.
Pollux 2: 21, 9; 30, 7.
Polyxena 1: 29, 25.
Pompilius, Numa, v. Numa Pompilius.
Pontus 2: 41, 83.
Priamus 1: 26, 48.
Puccia domus 2: 23, 2.
Puccius (filius Antonii) 2: 23, t 1 6 13. —, Antonius 2: 23, t 6.
Pudicitia 1: 29, 93; 31, 4.
Pudor 1: 29, 90.
Puniceae rosae 1: 20, 2.
Pylades (v. Phoceus) 1: 52, 12.
Pythagoras (v. Samius senex) 2: 22, 5; 41, 51.
Pytho 1: 10, 81.
Quirinus (v. Romulus) 3: 6, 65; 7, 131.
Quirites 2: 39, 127. 3: 1, 9 59; 7, 147; 11: 13 187 219 231 399.
Raphael divus (sanctus) 1: 11, t 1.
Relligio 1: 29, 89.
Remus 1: 3, 129. 3: 3, 116; 7, 64 134; 24, 82.
Rhenus 2: 42, 137.
Roma (v. Romana urbs) 1: 29, 97. 2: 3, 132; 4, 119 125; 7, 3 7; 42, 21 74 126. 3: 3, 34; 4, 198 230; 11, 352 375; 17, 9; 24, 86; 27, 1.
Romanus populus 2: 14, 2. 3: 6, 67; 17, 13. — sanguis 3: 26, 5. Romana relligio 2: 47, 2. — res 2: 6, 44. — urbs (v. Roma) 2: 3, 123 129; 42, 133. 3: 17, 3. Romani 3: 24, 15. — patres 3: 24, 172. Romana moenia 2: 42, 121.
Romuleus victor 3: 17, 2. Romulea gens 3: 6, 71. — urbs 3: 22, 5. Romulei Lares 2: 42, 132. Romuleae rates 2: 4, 108. — sedes 2: 3, 115.

Romulus (v. Quirinus) 2: 42, 50.
Sabaeum thus 1: 11, 17.
Samius senex (v. Pythagoras) 2: 41, 50.
Sarranus murex 1: 4, 37.
Saturnus 1: 10, 57 86; 27, 3; 29, 45. 2: 3, 121; 8, 2. 3: 4, 75; 7, 79; 11, 350.
Satyri 1: 13, 7.
Scala, Bartholomaeus 2: 10, t 1 4.
Scarampa, Nicolaus 2: 6, t 12 28 57; 7, t 11.
Scarampa domus 2: 6, 51 72.
Scipiades (v. Scipio) 2: 36, 12.
Scipio (v. Scipiades) 2: 52, 5. 3: 3, 93.
Sfortia, Franciscus (v. Sfortiades) 2: 39, t 58 148. 3: 3, 43; 11, 240 252. — Galeazius 2: 25, t.
Sfortiades (v. Sfortia, Franciscus) 2: 39, 62 74 81 96 123 143 170 190. 3: 3, 49. Sfortiadae 2: 39, 199.
Siculus vates (Theocritus) 2: 29, 1.
Simois 3: 31, 1.
Sirius 1: 10, 23. 2: 4, 34.
Smyrnaeus vates (v. Homerus) 2: 28, 8.
Socrates 2: 41: 41. 3: 30, 8.
Socraticus sinus 2: 41, 38. Socratica domus 2: 41, 36. Socratici libelli 2: 4, 19.
Sophocleus cothurnus 3: 4, 210.
Sopor 1: 10, 40.
Sparta 3: 6, 52.
Spes 3: 17, 16 29 36.
Stroza, Laurentius 1: 21, t 7 17. 2: 45, t 5 16. —, Pallas 1: 21, 3 27. 2: 45, 1. —, Titus 2: 44, t 1.
Stroza domus 1: 21, 70. — nobilitas 1: 21, 8. 2: 44, 2.
Strozia, Marietta 1: 21: t 35 56 61; 26, 53.
Stupha, Sigismundus s. Sismundus 1: 29, t 53; 33, 1. 2: 9, t 2 5 9 10.
Stygii lacus 2: 13, 52. Stygiae tenebrae 1: 39, 1.
Styx 1: 29, 60.
Syllanus (v. Florentinus) miles 3: 4, 231. — populus 3: 6, 75; 7, 77. Syllana urbs 3: 7, 7. Syllani 3: 7, 114. — patres 3: 3, 142; 24, 44. — Quirites 3: 7, 147; 11, 13.
Syracusia Musa 3: 10, 1.
Tarquinius Superbus 3: 22, 6.
Tartara 2: 43, 43.
Tempe 3: 2, 53; 8, 35.
Teucra (Turca) gens 2: 3, 139. Teucri (Turcae) 1: 26, 47 52. 2: 3, 133; 4, 101; 6, 45.
Thalia 1: 11, 8.
Theocritus, v. Siculus vates.
Theseus 1: 22, 5.
Thessala tellus 1: 16, 57. Thessala Tempe 3: 8, 35.
Thetis 3: 3, 14.
Theumesia moles 2: 43,
Thrax 2: 3, 130.
Threicia lyra 2: 13, 16.
Thule 2: 42, 189. 3: 4, 180.
Thybris (v. Tiberis) 1: 22, 4. 2: 3, 125.
Tiberina sedes 2: 3, 131.
Tiberis (v. Thybris) 1: 29, 97.
Tirynthius heros (v. Hercules) 2: 43, 102 107.
Titan 1: 6, 4; 10, 61; 21, 67. 3: 11, 29.
Titus Flavius Vespasianus 3: 17, 7.
Tityanus vultur 2: 38, 9.
Tityus 1: 4, 19.
Tranchedinus, Franciscus 2: 24, t. —, Nicodemus 2: 39, 13 95 118 137 201.
Tridento, Antonius 2: 16, t 5 10. Tridentones 2: 16, 2.
Tritonia Pallas 2: 39, 1. 3: 4, 97.
Troia 1: 4, 63. 3: 33, 1.
Troiana fors 3: 5, 2.
Turcae, v. Teucri.
Tuscia 3: 3, 26 138; 11, 214.
Tuscus (v. Florentinus) Arnus 3: 4, 221. — leo 2: 1, 16. 3: 1, 67. — pater 3: 1, 47. — populus 1, 21, 33. 3: 1, 47; 7, 125. — Thybris 1: 22, 4. Tusca curia 3: 24, 64. — gens 3: 11, 399. — quies 3: 11, 271. — stirps 3: 4, 102. — urbs 3: 4, 183; 6, 21; 7, 115; 11, 230 377; 24, 98 165; 31, 18. Tuscum nemus 3: 24, 214. Tusci agri 3: 1, 54. — cives 3: 24, 63. — Lares 3: 1, 36; 11, 238. — patres 3: 1, 10 90; 11, 192; 24, 26 185. — penates 2: 40, 1. Tuscae domus 3: 22, 22. — nurus 1: 4, 44; 21, 60. — orae 1: 1, 3. — sedes 2: 43, 5. — urbes 1, 3, 15. 3: 3, 95; 4, 177; 31, 7.
Tyndaris (v. Helena) 1: 17, 23. 3: 22, 12.
Tyros 1: 4, 38
Tyrrhenus (v. Florentinus) leo 3: 1, 99; 30, 13. Tyrrhenum flumen 3: 3, 1 Tyrrheni 3: 24, 108. Tyrrhenae urbes 2: 1, 19. Tyrrhena oppida 3: 4, 84.
Ulixes (v. Laertiades) 1: 22, 1.
Urbinas, Gentilis 2: 35, t.
Vaggia 1: 17, 9.
Varro, Terentius 3: 1, 22.
Venetus sinus 3: 11, 280. Venetum foedus 3: 3, 97. Veneti 3: 11, 271.
Venus (v. Cypria) 1: 4, 49; 5, 9 11; 6, 7; 10, 63 76; 11, 17; 12, 8 12; 16, 59; 21, 37; 25, 7; 26, 38 (bis); 27, 82 87; 29, 17. 2: 15, 7 (bis); 35, 1. 3: 18, 9.
Venustas 1: 29, 94.
Vergilius Maro 1: 1, 18. 2: 3, 30; 29, 3. 3: 1, 22; 10, 2.
Verinus, Ugolinus 1: 11, t 1; 14, t 19. 2: 17, t.
Victoria 2: 3, 9. 3: 17, 9.
Volaterranus 3: 1, 71. Volaterrani 3: 1, 97. Volaterranae urbes 3: 1, 65.
Vulcanus (v. Lemnius) 3: 4, 40.

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

SAECULA XII—XIII. *RM*

P. magister, quondam Bele regis Hungarie notarius, Gesta Hungarorum, ed. *Juhász.* 1932. — — — — — — — — — 5.40

SAECULUM XIII.

Garlandia, Iohannes de, Integumenta fabularum Ovidii, ed. *Born.* (Excuduntur.)
De orthographia (incerti auctoris), ed. *Born.* (Apparebit.)

SAECULA XIII—XIV.

Dantes Alagherius, Epistolae, edd. *Nachod—Stern.* (Apparebunt.)

SAECULA XIV—XV.

Ravenna, Iohannes de, Epistolae, ed. *Smith.* (Apparebunt.)
Salutatus, Coluccius, De saeculo et religione, ed. *Ullman.* (Apparebit.)
Trevisanus Maior, Zacharias, Orationes et testamentum, edd. *Bertalot—Gothein.* (Apparebunt.)

SAECULUM XV.

Barbarus, Franciscus, Epistolae, ed. *Gothein.* (Apparebunt.)
— Orationes. Una cum orationibus ad eundem habitis, ed. *Gothein.* (Apparebunt.)
Barius, Nicolaus — **Kostolan,** Georgius Polycarpus de — **Hungarus,** Simon — **Zagabriensis,** Georgius Augustinus, Reliquiae, ed. *Juhász,* 1932. — — — — — — — — — — — 1.50
Brandolinus, Aurelius, De comparatione rei publicae et regni ad Laurentium Medicen, ed. *P. Angyal.* (Apparebit.)
— Dialogus de humanae vitae condicione et toleranda corporis aegritudine, ed. *Iványi.* (Apparebit.)
Callimachus Experiens, Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia, ed. *Kardos.* 1932. — — 1.70
Corsinus, Amerigus, Compendium in vitam Cosmi Medicis ad Laurentium Medicem, ed. *Juhász.* 1934. 2.—
Cortesius, Alexander, De laudibus bellicis Matthiae Corvini Hungariae regis, ed. *Fógel.* 1934. 2.—
Facius, Bartholomaeus, Invectivae in Laurentium Vallam, ed. *Valentini.* (Apparebunt.)
Ficinus, Marsilius, Epistolae, ed. *Kristeller.* (Apparebunt.)
Hungarus, Simon, v. Barius, Nicolaus.
Kostolan, Georgius Polycarpus de, v. Barius, Nicolaus.
Martius Narniensis, Galeottus, Carmina, ed. *Juhász.* 1932. — — 1.80
— De egregie, sapienter, iocose dictis ac factis regis Mathiae ad ducem Iohannem eius filium liber, ed. *Juhász.* (Excuditur.)
— De incognitis vulgo, edd. *Juhász—Kardos* (Apparebit.)
— Epistolae, ed. *Juhász.* 1930. — — — — — — — — 1.—
— Invectivae in Franciscum Philelphum, ed. *Juhász.* 1932. — — 2.50
Pannonius, Ianus, Opera, ed. *Huszti.* (Apparebunt.)

RM

Philelfus, Franciscus, Sphortias, edd. *Fógel—Juhász.* (Apparebit.)
Ransanus, Petrus, Epitoma rerum Hungararum, ed. *Juhász.* (Excuditur.)
Savonensis, Guilhelmus, Dialogus, an mortui sint lugendi an non, ed. *Maschek.* (Apparebit.)
Seneca, Thomas, Historia Bononiensis. Qualiter Galeatius Marescottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrunque gesta. Carmen epicum, ed. *Fógel.* 1932. 3.60
Strozza, Titus Vespasianus, v. Saecula XV—XVI.
Valagussa, Georgius, Epistolae, ed. *Juhász.* (Apparebunt.)
Vitez de Zredna, Iohannes, Epistolae — Orationes, ed. *Juhász.* (Apparebunt.)
Zagabriensis, Georgius Augustinus, v. Barius, Nicolaus.
Zovenzonius, Raphael, Carmina, edd. *Fógel—Juhász.* (Apparebunt.)

SAECULA XV—XVI.

Andronicus Tragurinus, Matthaeus, Epithalamium in nuptias Vladislai Pannoniarum ac Boemiae regis et Annae Candaliae reginae, ed. *Juhász.* 1933. — — — — — — — — — 1.—
Balbus, Hieronymus, Epigrammata, ed. *Iványi.* (Apparebunt.)
Celtis Protucius, Conradus, Ludus Dianae — Rhapsodia, ed. *Rupprich.* (Apparebunt.)
— Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus, ed. *Rupprich.* 1932. 1.30
— Quattuor libri Amorum secundum quattuor latera Germaniae — Descriptio Germaniae generalis. Accedunt carmina aliorum ad libros Amorum pertinentia, ed. *Pindter.* (Excuduntur.)
Fontius, Bartholomaeus, Carmina, edd. *Fógel—Juhász.* 1932. — 2.—
— Epistolarum libri III., ed. *Juhász.* 1931. — — — — — — 4.50
Naldius (de Naldis) Florentinus, Naldus, De laudibus Bibliothecae libri IV. ad Mathiam Corvinum Pannoniae regem, edd. *Juhász—Mocarski.* (Apparebunt.)
— Elegiarum libri III. ad Laurentium Medicen, ed. *Juhász.* 1934. 5.60
Piso, Iacobus, Opera, ed. *Juhász.* (Apparebunt.)
Strozza, Titus Vespasianus, Borsias (Fragmenta) — Bucolicon liber, edd. *Fógel—Juhász.* 1933. — — — — — — — 1.40
Verinus, Ugolinus, Carlias, edd. *Fógel—Juhász.* (Apparebit.)
— Epigrammatum libri VII. edd. *Fógel—Juhász.* (Apparebunt.)
— Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saracenae Baetidos gloriosa expugnatione, edd. *Fógel—Juhász.* 1933. — — — — — — — — — 2.20
Warda, Petrus de, Epistolae, ed. *Iványi.* (Apparebunt.)

SAECULUM XVI.

Duditius, Andreas, Epistolae, edd. *Costil—Juhász.* (Apparebunt.)
— Opera varia, edd. *Costil—Juhász.* (Apparebunt.)
Merenda, Livius, Hercules — Seilas (Fragmenta). Ludi scenici, ed. *Tescari.* (Apparebunt.)
Olahus, Nicolaus, Carmina, edd. *Fógel—Juhász.* (Excuduntur.)
Sambucus, Iohannes, Epistolae, ed. *Gerstinger.* (Apparebunt.)
Stretzinger, Thomas, Oratio de divo Leopoldo III. Austriae marchione in universitate Vindobonensi habita, ed. *Maschek.* (Excuditu r.)

SAECULA XVI—XVII.

Istvánffy, Nicolaus, Carmina, ed. *Holub.* (Apparebunt.)

Pretium huius voluminis RM 5.60